POETICA ARISTOTELIS

AB ANTONIO RICCOBONO LATINE CONVERSA:

EIUSDEM RICCOBONI PARAPHRASIS IN POETICAM ARISTOTELIS:

EIUSDEM ARS COMICA EX ARISTOTELE.

Cum Indice copiosissimo.

CUM PRIVILEGIO.



PATAVII,
Apud Paulum Meietum. M. D. LXXXVII.

b

PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO IVVENI D. IO. ADAMO DE OFFCHIRTH, LIBERO BARONI IN COLMVNTZ, ET DRESIDEL,

Patrono ſuo maxime Colendo,

Paulus Meietus Bibliopola Patauinus.

S. P. D.

CVM ſecundam huius operis editionem ab Antonio Riccobono I. C. & Humanitatis in Gymnaſio Patauino explicatore, impetraſſem, mecumq; animo uoluerem, cui nã

eam dicarem, atque id honoris genus haberem, quod non nisi egregiis adhiberi personis consueuit; facile statui honorandam præcipue nobilissimam, & generosissimam Nationem Germanam, in qua hæ politiores, & elegantiores litteræ maxime elucent, ita ut germana Latinorum eloquentia ab hominibus Germanis in primis coli, & illustrari uideatur; atque ex tam clara, ac florenti Natione te potissimum delingendum, perillustris, & generosissime Baro, in quo sane omnia splendēt, quæ præclara uideri inter homines, atq; eximia solent. Ac Germani quidem quàm sint honore digni, uetera monumenta testantur, quorum antiquissima extat mentio in historia Vrbis Romæ à Gallis captæ, apud Liuium; quos celebrem cum Gallis expeditionem in Italiam suscepisse Duce Ariouisto, narrat Polybius; quorum bellicam fortitudinem, iustitiam, mores domesticos, miris laudibus ornat Cæsar. Sed recentiores simul scriptores obseruarunt, tantum eos profecisse, ut humanitate Asiaticis, militari disciplina Romanis, Philosophia Græcis, Geometria Aegyptiis, Arithmetica Phœnicibus, Astrologia Caldæis, opificiorum uarietate populis omnibus superiores esse uideantur,

digni profecto, ad quos dignitas peruenerit Imperatoria. Te uero, Baro ornatisſime, cum alia mirabiliter decorant, Viennæ patriæ tuæ, Vrbis Imperialis, claritas, familiæ de Offchirth decus, Gulielmi patris tui Illuſtrisſimi ſplendor, qui fuit Cæſareæ Maieſtatis Sapientisſimus Conſiliarius, & exercituum præſtantisſimus Præſes, aliiſq; maximis dignitatibus propter maximam præſtantiam ſuam præfulgens, Euæ matris tuæ prudentisſimæ, & omni genere laudis præſtantisſimæ ornamentum, propinquorum, & affinium magnificentia, & magnanimitas, fortunarum amplitudo: tum in primis flagrantisſimum quoddam ſapientiæ, atque eloquentiæ ſtudium, in quo admirandos ad omnem dignitatem, laudemq; progreſſus facis, ac prope incredibilis humanitas, benignitas, comitas, affabilitas, morum elegantia, beneficentia, liberalitas, quæ te omnibus amabilem, mihi uero etiam admirabilem reddit. Quæ cauſa fuit, quamobrem tibi nobilisſimo Germano, egregiis fortunæ, corporis, animi bonis ornatisſimo, hoc opus dicandi conſilium ceperim; in quo tria continentur, litterarum ſtudioſis, ut arbitror, minimè contemnenda, tum ars Poetica à grauisſimo om

nium auctore Aristotele conscripta, & à Riccobono maxima cum diligentia latine conuersa, quæ eandem, ac furor diuinus, excellentissimam materiam pertractat: tum Poeticæ copiosissima Paraphrasis ab eodem Riccobono quàm facillime, & quàm planissime facta: tum Ars Comica ex ipsis Poeticae uisceribus ab eodem conformata. Quod munus meum honorandæ illi maximæ, clarissimæq; uirtuti omni cum reuerentia præstitum, quam ex præstanti Nationis, patriæ, & familiæ tuæ nobilitate hausisti, ex liberali parentum tuorum institutione expressisti, ex præclaris litterarum studiis arripuisti, & quotidie magis arripis, ad mirabilem cursum faciens, atq; progressionem ad excellentiam; ut benigno animo accipias, te rogo; meq; amplitudini tuæ etiam, atq; etiam cõmẽdo. Patauii, Mense Nouembri. MDLXXXVI.

D

ANTONIVS RICCOBONVS STVDIOSIS POETICAE.

PROFECTO graue fuit fatum Poeticae Aristotelis, vt, quum alij libri habere fidos interpretes soliti sint, & amantes explicatores, qui eos suis illustrare lucubrationibus studuerunt; hic ipse liber post commentarios Clarissimorum virorum, qui solido, & germano explicandi munere functi sunt; Ludouicum Castelvetrium nactus sit, hominem sine dubio ingeniosissimum, qui lumine ingenij sui ei tenebras offundere conatus sit, eumq; dum explicare professus est, potius implicarit, & explicatione reddiderit indigentem, ita vt propter acutissimas eius dubitationes nulla nunc ars propemodum esse perturbatior, & confusior, atq; adeo difficilior, & obscurior uideatur. Cui malo quum difficulter quidem propter hominis doctrinam à plurimis iam haustam, sed aliqua tamen modo adhiberi remedium posse arbitraremur; praeter conuersionem à nobis factam, Paraphrasim conscripsimus, qua veros Aristotelis sensus ex densissimis circumfusis tenebris, quantum in nobis esset, erueremus, atq; aperiremus; illudq; vnum propositum habuimus, vt Aristotelem declararemus, & in pristinam lucem uendicaremus. Quae caussa fuit, quamobrem non omnia Castelvetrij commenta susceperimus refellenda (quod longius fortasse fuisset, quàm utilius, & homini ualde occupato minus conueniebat) sed tantum prae

cipua quædam duxerimus perpendenda, quæ ad præclarissimum obscuran dum auctorem (si modo omnis doctrinæ lumen poterat obscurari) fuisse alla ta nobis uisa sunt. Neq; enim virum doctum, & eloquentem insectandum, atq; exagitandum existimauimus, cuius in alio genere scripta semper proba uimus, magnifecimus, & prædicauimus: sed tantummodo eius subtilitati, fortasse nimiæ, obsistere, & non magis eum oppugnare, quàm ei pro Aristo tele repugnare quibusdam in locis conati sumus. Tribuimus enim illi maxi mam doctrinam; damus earum rerum, quas multi ignorauerunt, cognitio nem; non adimimus Græcæ, & Latinæ, atq; eius, quam sibi Etrusci uendi cant, linguæ notitiam, ingenij acumen, dicendi copiam; denique etiam, si qua de eo alia prædicantur, non repugnamus: at synceram, & ueram Poeticæ Ari stotelis explicationem tantum abest, ut perpetuo tribuere queamus, ut po tius fallacem, & adumbratam non nunquam obiiciamus. Quòd, si eum quan doq; captiosum appellamus, id fortasse tolerabilius est, quàm in tantum sæpe philosophum, tamquàm immemorem, sibi ipsi repugnantem, et, quidquid di cat, ignorantem inuehi, vt Castelvetrius facit. Debetis igitur conatus no stros in bonam partem accipere; & existimare, quod cautos homines decet, parum tutum esse, à ueterum doctrina discedere, maximeq; eius, qui, in quocũ que artium genere uersatus est, ceteros superauit; qui huic arti talia, ac tan ta adiumenta subministrauit, ut propterea nos plurimũ ei debere conueniat; quem nos aliis omnibus, quicunque de Poetica scripserunt, ita præferimus, ut nihil fere boni eos putemus tradidisse, nisi quod à fonte Aristotelio pro fluere uideatur. Quamobrem eius librum de Poetica uobis, qui huius artis studio flagratis, in primis intelligendum esse censemus; utq; id commodius faceretis, non solum eius conuersionem, uerum etiam Paraphrasim confeci mus, & in aspectum uestrum produximus; maiores siue dubio labores su scepturi, ut studiosorum utilitati, ad quam omnem nostrum operam quã tulãcunq; libentissime conferimus, consulamus. Addidimus Artem Comicã, ut, quum secundus Poeticæ liber, in quo Ridicula ad Comœdiam pertinen tia fuisse explicata existimamus, iniuria temporum interierit, eius deside rium, quantum fieri per nos posset, leniremus. Valete.

AVCTORVM NOMINA

QVI IN HOC OPERE NOMINANTVR.

A

† Euri-

Phormis

INDEX COPIOSIOR PARAPHRASIS, ET ARTIS COMICAE.

Dole-

Hypo-

Nomi-

FINIS

ARISTOTELIS LIBER DE POETICA,

ANTONIO RICCOBONO INTERPRETE.

I. DE NATVRA POESIS.

DE *Poetica, & ipsa, & formis ipsius, quam uim habeat unaquaque; & quomodo oporteat componi fabulas, si habitura sit se recte poesis: praeterea uero ex quot, & qualib. constet partibus; & similiter autem & de aliis, quę eiusdem methodi sunt; dicamus, incipientes secundum naturam primum à primis.*

Iam uero Epopęia, & Tragędiae poesis, praeterea Comędia, & Dithyrambopoetica, & Auleticae maxima pars, & Citharisticae, omnes sunt imitatio in uniuersum.

Differunt autem inter se tribus, aut enim quòd genere diuersis imitantur: aut quòd diuersa: aut quòd diuerso, & non eodem modo.

Vt enim & coloribus, & figuris multa imitantur aliqui, effigiem exprimentes, partim quidem per artem, partim vero per consuetudinem; alii autem utrisque: sic in dictis artib. omnes faciunt imitationem in numero, & oratione, & harmonia, atque his separatim, aut mixtis.

Vt harmonia quidem, & numero vtuntur solum & Auletica, & Citharistica, & si quae aliae sunt tales potestate, vt fistularum.

Ipso autem numero imitantur sine harmonia, qui sunt inter saltatores. etenim isti per figuratos numeros imitantur & mores, & perturbationes, & actiones:

Epopęia vero solum sermonibus nudis, vel metris, & his siue mixtis in-

ter se, siue uno aliquo genere utens metrorum; qualis fuit usque adhuc.

Non enim rem communem possemus nominare Sophronis, & Xenarchi Mimos, & Socratis sermones.

Neque siquis per Trimetra, uel Elegos, uel alia quædam talia conficeret imitationem.

Nisi quòd homines coniungentes cum metro ipsum fingere, alios quidē Elegorum fictores, alios uero Epicorum fictores nominant; non secundum imitationē, sed cōiter secundum metrū appellantes poetas. Etenim si Medicinæ, aut Musicæ aliquid per metra proferunt, sic appellarecōsueuerūt.

Nihil autem commune est Homero, & Empedocli prḙter metrum. Quare illum quidem poetam iustum est appellare: hunc vero phisiologū magis, quàm poetam. Similiter uero etiam siquis omnia metra miscens nō faciat imitationem, quemadmodum Chæremon fecit Centaurum mixtam rapsḙdiam ex omnibus metris; iam poeta non est appellandus. Atque hæc quidem hunc in modum explicata sint.

Sunt autem aliquæ, quḙ omnibus utuntur iis, quæ dicta sunt, nempe numero, & cōcentu, & metro, sicut Dithyrambicorum poesis, & Nomorū.

Præterea Tragœdia, & Comœdia. Differunt vero, quòd illæ quidem simul omnibus: hæ vero secundum partem.

Atque has quidē dico differētias artium, in quibus faciunt imitationē.

Quoniam autem ij, qui imitantur, agentes imitantur, necesse uero est eos aut bonos, aut malos esse (mores enim fermè hos consequuntur solos, nam vitiositate, & virtute in morib differunt omnes) aut meliores, quàm secundum nos, aut peiores aut etiam tales necesse est imitari.

Vt ex pictoribus Polignotus quidem meliores, Pauson verò deteriores; at Dionysius similes pingebat.

Manifestū aūt est, qđ & ex ijs, quæ dictæ sunt, imitationib. vnaquḙque habebit has differētias, & erit diuersa, eò ꝙ diuersa imitabitur, hoc modo.

Nam in saltatione, & Auletica, & Citharistica possunt esse eiusmodi dissimilitudines.

Et circa sermones, & nuda metra, vt Homerus quidem meliores: Cleophon uerò similes: at Hegemon Thasius, qui Parodias, & Nicocharis, qui Deiliada, peiores.

Similiter vero etiam circa Dithyrambos, & circa Nomos; vt qui fecit Cyclopes Timotheus, & Philoxenus, posset aliquis imitari.

In eadem uero differentia & Tragœdia, & Comœdia separata est, hæc enim peiores: illa meliores imitari vult, quam ij, qui nunc sunt.

Prḙterea vero in his tertia differentia est, vt singula hæc imitaretur aliquis.

quis. Etenim in ijsdem, & eadem imitari licet interdum quidem exponentem, vel aliud quippiam factum, vt Homerus facit: vel vt eundē, & nō se immutantem: vel omnes vt agentes, & molientes aliquid, quos imitantur.

Iamuero in tribus his differentijs imitatio est, ut dicebamus in principio, tum in quibus: tum quæ: tum quomodo.

Quare in una quadam parte idem erit imitator cum Homero Sophocles; imitantur enim ambo bonos: in altera uero cum Aristophane; molientes enim aliquid, & agentes ambo imitantur. vnde & dramata ipsa appellari quidam dicunt, quòd imitentur agentes.

Quamobrem sibi vendicant & Tragœdiam, & Comœdiam Dorienses. Comœdiam quidem Megarenses, & qui hic sunt, tanquam in ipsorum Democratia natam.

Et qui sunt ex Sicilia: inde enim fuit Epicharmus poeta multo prius, quàm Chonnides, & Magnetes. Et Tragœdiam aliqui eorum, qui sunt in Peloponneso: ducentes a nominib. signum, hi enim comas pagos appellare se dicunt: Athenienses vero demos; quasi comœdi non a κωμάζειν dicti sint, sed nominati ab errore illo per pagos ex urbe. Et facere ipsi quidem ostendunt se dicere δρᾶν: Athenienses vero πράττειν.

Ac de differentijs quidem imitationis, & quot, & qui sint, tam multa dicta sint.

I I.

DE ORIGINE POESIS.

Videntur autem genuiße in vniuersum poeticam causæ duæ, atque ipsæ naturales.

Nam imitari insitum hominibus a pueris est.

Et hac re differunt ipsi ab alijs animalibus, quòd homo est animal maxime accommodatum ad imitandum.

Et perceptiones faciunt primas per imitationem.

Et gaudent omnes rebus imitatione expressis, signum autem huius rei est id, quod contingit in operibus opificum. quæ enim ipsa moleste cernimus, horum imagines exactissime expreßas dum spectamus, gaudemus, vt ferarum formas abiectissimarum, & cadauerum. Ac signum huius rei etiam est, quòd discere non solum philosophis iucundissimum est, sed etiam

alijs similiter, qui tamen parum eius participes sunt, ob id enim gaudent cernentes imagines, quia contingit spectantes discere, & ratiocinari, quid vnumquodque sit, & hunc illum esse. Quoniam nisi contigerit eum prius uidiße, non propter id, quod imitatione expressum est, efficiet uoluptatem, sed propter artificium, aut colorem, aut talem aliquam aliam causam.

Verum cum secundum naturam sit in nobis ipsum imitari, & harmonia, & numerus (nam metra particulas esse numerorum manifestum est) a principio, qui natura apti erant ad hæc ipsa maxime, paullatim promouentes genuerunt poesim ex iis, quæ subito dicebantur.

Diuisa autem est secundum proprios mores poesis. Nam grandiores honestas imitabantur actiones, ac huiusmodi hominum, humiliores vero malorum, facientes primum vituperationes: quemadmodum alteri hymnos & encomia.

Atque eorum quidem, qui ante Homerum fuerunt, nullius possumus nominare poema tale. Verisimile autem est, multos esse. At ab Hom. exorsis licet; vt est illius Margites, & talia.

Quibus secundum id, quod conueniebat, iambicum accesit metrum. Itaque & iambicum vocatur nunc, quod & in hoc metro conuicia inter se exercebant; & fuerunt ex priscis alijs quidem heroicorum, alij uero iãborum poetæ.

Quemadmodum autem & in grauibus maxime poeta fuit Homerus (solus enim fuit; non solum quia bene, sed etiam quia imitationes dramatice fecit) sic & Comediæ figuras primus submonstrauit; non vituperationem, sed ridiculum dramate complectens. Nam Margites proportionem habet, vt Ilias, & Odyssea ad Tragædias, sic & ipse ad Comædias.

Cum autem apparuisset Tragædia, & Comædia, qui ad vtramque poesim ferebantur secundum propriam naturam, partim quidem pro Iambicis Comici facti sunt; partim uero pro Epicis Tragici, quia maiores, & honoratiores figuræ eßent hæ, quàm illæ. Ac considerare quidem, vtrum sufficienter se habeat iam Tragædia in formis ipsius nec ne; tum si res ipsa per se iudicetur, tum ad theatra; alia ratio est.

Nata igitur est a principio ex tempore & ipsa, & Comædia, & vna quidem ab ijs, qui Dithyrambum primi canebant: altera vera ab ijs, qui phallica, quę propterea etiam nunc in multis ciuitatibus manent, legibus constituta, paullatim aucta est, producentib. quantum ipsius factum est manifestum. Et multas mutationes cum habuisset Tragędia, conquieuit: quia consecuta est suam ipsius naturam.

Ac

Ac histrionum multitudinem ex vno ad duos, primus Aeschylus produxit.

Et ea, quæ ad chorum pertinent, minuit.

Et orationem primarum partim instituit.

Tres autem, & scenæ ornamentum Sophocles.

Præterea magnitudo ex paruis fabulis, & locutione ridicula, propterea quòd ex satyrico mutata est, tarde granditatem habuit.

Ac metrum ex tetrametro iambicum factum est. Nam primum tetrametro vtebantur: propterea quòd satyrica, & magis saltatoria erat poesis. Locutione autem nata, ipsa natura proprium metrum inuenit. Maxime uero sermoni accommodatum omnium metrorum iambicum est. Signumque huius rei est, quòd plurima iambica proferimus in collocutione, quam inuicem habemus: hexametra vero raro, & exeuntes ex accommodata sermoni, harmonia.

Præterea vero episodiorum multitudines, & alia, vt singula se habent, ornata esse dicuntur.

Ac de his quidem tam multa a nobis dicta sint: plura enim fortasse dicenda essent, si singula essent explicanda.

Comædia vero est, vt dicebamus, imitatio peiorum. At non secundum omne vitium: sed turpitudinis est particula ridiculum.

Et enim ridiculum est erratum quoddam, & turpitudo sine dolore, & non habens uim interimendi, vt statim ridicula facies, turpisque ac distorta sine dolore.

Ac mutationes quidem Tragædiæ, & per quos factæ sint, non latent. Comædia uero, quia in ipsa a principio positum studium non est, latuit. Et enim chorum comœdorum sero magistratus dedit: sed illi voluntarii erant. Atque cum figuras quasdam iam ipsa nacta esset, pauci ipsius poetę commemorantur.

Quis autem personas assignauerit, aut prologos, aut multitudines histrionum, & quęcunque talia, ignorantur. At fabulas facere Epicharmus, & Phormis cœperunt. Ac ex Sicilia quidem a principio venit. Eorum uero, qui Athenis orti sunt, Crates primus, cum iambicam formã abiecisset, cœpit in uniuersum facere sermones, vel fabulas.

DE

III

DE CONVENIENTIA, & differentia inter Tragœdiam, & Epopœiam.

Popæia igitur Tragædiam vsque ad solum hunc terminum consecuta est, quòd sit cum sermone imitatio bonorum. In eo autem differunt, quòd illa quidem metrum simplex habet; & enarratio est; præterea longa est, hęc vero quàm maxime conatur sub vno solis ambitu esse, aut paullisper variare; cum Epopæia indefinita sit tempore. Atque in hoc differt, etiam si primis temporibus id similiter faciebant, tum in Tragædijs, tum in Epicis.

Partes autem quædam eædem sunt: quædam propriæ Tragædię. Quare quicunque cognitionem habuerit Tragædiæ bonæ, & malæ, habuerit etiam Epicorum. Quæ enim Epopæia habet, insunt in Tragædia. Quæ vero ipsa, non omnino in Epopæia.

Ac de imitatione quidem, quæ fit hexametro, & de Comędia posterius dicemus. De Tragædia vero dicamus, assumentes ipsius definitionem, quæ ex ijs, quæ dicta sunt, nascitur, vnde patet ipsius natura.

IIII.

DEFINITIO TRAGOEDIAE.

Est igitur Tragœdia {
Imitatio
actionis probæ
& perfectę
magnitudinem habentis,
suaui sermone,
separatim singulis
formis in partibus
agentibus.
& non per enarrationem.
Sed per misericordiam,
& metum inducens talium perturbationum purgationem.

Iam dico suauem sermonem, habentem numerum, & harmoniam, & melodiam.

Illud autem, separatim formis, propterea quòd quædam solum efficiuntur per metra, & rursus alia per melodiam.

V.

Partes Qualitatis in Tragœdia.

QVoniam autem agentes faciunt imitationem, primum quidē ex necessitate erit aliqua pars Tragœdiæ Apparatus.
Deinde Melopæia.
Et Dictio.
In his enim faciunt imitationem. Ac dico dictionem ipsam metrorum compositionem. Melopæiam vero idipsum, quod manifestum omnibus vim habet.

Et quoniam actionis est imitatio, atque agitur a quibusdam agentibus, quos necesse est cuiusdam modi eße, & secundum mores, & sententiam (nam prop ter hæc etiam actiones dicimus esse cuiusdam modi) naturaliter sunt duæ causę actionum, Sententia, & Mores. Et secundum has tum

fortunati,

fortunati, tum infortunati sunt omnes.

Est autem actionis quidem Fabula, imitatio.

Dico enim Fabulam, hanc rerum compositionem.

Mores vero secundum quos cuiusdam modi esse dicimus agentes.

At sententiam ea omnia, in quibus dicentes demonstrant aliquid, vel etiam enunciant mentem.

Necesse igitur est omnis Tragœdiæ partes esse sex, secundum quas cuiusdam modi est Tragedia. Atque hæ sunt, fabula, mores, & dictio, & sententia, & apparatus, & melopœia.

Quibus enim imitantur, duæ partes sunt.

Quomodo imitantur, vna.

Quas imitantur, tres.

Etenim apparatus habet omne, & mores, & fabulam, & dictionem, & melos, & sententiam similiter.

Maximum vero horum est rerum compositio. Tragœdia enim imitatio est non hominum, sed actionum, & vitæ, & felicitatis, & infelicitatis, etenim felicitas in actione est, & finis, actio quædam est, non qualitas. Ac sunt quidem secundum mores cuiusdam modi: at secundum actiones felices, vel contra. Non igitur agunt, ut imitentur mores: sed propter actiones mores complectuntur. Quare res, & fabula, finis est Tragœdiæ, ac finis maximum omnium est.

Nam sine actione non fieret Tragœdia: at sine moribus fieret. Recentiũ enim plurimorum Tragœdiæ sine moribus sunt; & omnino poetæ multi tales; sicut & ex pictoribus, Zeuxis ad Polygnotum se habet. Nam Polygnotus bonus morum descriptor: at Zeuxidis pictura prorsus caret moribus.

Præterea siquis ordine posuerit collocutiones moratas, & dictiones, & sententias bene factas, non efficiet, quod est Tragœdiæ opus; sed multo magis efficiet Tragœdia, quæ his quidem deterioribus vsa sit, at habeat fabulam, & compositionem rerum bene factam.

Ad hæc maximæ res, quibus capit animos Tragœdia, sunt fabulæ partes, nempe peripetiæ, & agnitiones.

Præterea signum est, quòd & qui conantur rem poeticam agere, prius possunt dictione, & morib. res exquisite tractare, quam res componere, vt & primi poetæ ferme omnes.

Ac principium quidem, & tanquam animus Tragœdiæ, fabula est.

Secundum autem mores, assimile enim est in pictura. nam siquis illineret pulcherrimis coloribus fusim, non similiter delectaret, ac siquis albo

describeret

describeret imaginem, est autem imitatio actionis, & per hanc maxime agentium.

Tertium vero sententia. Id autem est, dicere posse insita, & conuenientia, quod in orationibus Politicæ & Rhetoricæ opus est. Nam prisci politice introducebant dicentes: qui vero nunc sunt, Rhetorice. Iam mores sunt tale quiddam, quod aperit praelectionem, qualis sit, in illis, in quibus non est manifestum, vtrum dicens eligat, aut fugiat. Sententia uero est in illis, in quibus demonstrant aliquid aut esse, aut non esse, aut enuntiant, aliquid in vniuersum.

Quartum est sermonum dictio. Ac voco, quemadmodum prius dictum est, dictionem per verba interpretationem, quod & in metris, & in orationibus eandem uim habet.

Reliquarum vero quinque Melopœia est maximum condimentorum.

Et apparatus allicit quidem animos: sed maxime est artis expers; & minime proprius poeticæ. Nã Tragœdiæ vis & sine certamine, & histrionibus est, præterea vero potentior est circa fabricam apparatuum ars illius, qui scenam conficit, quàm ars poetarum.

V I.

De Fabulæ Proprietatibus.

EXplicatis autem his, dicamus deinceps, qualem esse oporteat rerum compositionem: quoniam iam hoc & primum, & maximum Tragœdiæ est.

V I I.

Prima Proprietas Fabulæ.

POsitum autem est a nobis perfectæ, atque totius actionis esse imitationem, habentis aliquam magnitudinem.

Totum autem est habens principium, & medium, & finem.

Ac principium est, quod ipsum ex necessitate post alud non est: post illud vero aliud naturaliter est, aut fit.

Finis contrarium, quod ipsum post aliud naturaliter est aut ex necessi-

tate, aut plerunque; post hoc autem aliud nihil.

Medium, quod & ipsum post aliud est. Oportet igitur bene compositas fabulas neque vnde libet, incipere, neque vbi libet finire, sed vti dictis formis.

VIII.

Secunda Proprietas Fabulæ.

PRæterea vero, quoniam pulchrum & animal, & omnem rẽ, quæ ex quibusdam composita est, non solum hæc ordinata habere oportet, verum etiam esse magnam, sed non quomodolibet, nam pulchrum in magnitudine, & ordine consistit; vnde neque omnino paruum animal esse potest pulchrum, confunditur enim spectatio, quæ prope insensibili tempore fiat: neque omnino magnum, non enim simul spectatio fit, sed perit spectantib. vnum, & totum ex spectatione, ut si decem millium stadiorum sit animal: propterea oportet, quemadmodũ in corporibus, et in animalibus inesse quidem magnitudinem, sed eam, quæ facile conspici possit, sic & in fabulis inueniri quidẽ, longitudinem, sed eam, quæ facile retineri memoria possit.

Longitudinis autem terminus ad contentiones, & sensum, non artis est, si enim termino opus esset, caußa Tragedias recitandi; ad clepsydras contenderent, quemadmodum quondam, & alijs temporibus factum esse affirmant.

Terminus autem rei secundum ipsam naturam, semper quidem, qui maior est, quatenus simul patet, pulchrior est secundum magnitudinem. Verum, vt simpliciter re definita dicam, in quanta magnitudine secundum verisimile, & necessarium deinceps nascentibus rebus contingit in prosperam fortunam ex aduersa, aut ex prospera in aduersam mutari, sufficiens terminus est magnitudinis.

I X.

Tertia Proprietas Fabulæ.

Fabula autem est vna, non vt aliqui putant, si circa unum sit.

Multa enim, & infinita genere contingunt, ex quibus nonnullis nihil est unum, sed & actiones vnius multæ sunt, ex quibus nulla actio est vna. Quare omnes videntur peccare, quicunque ex poetis Herculeidem, Theseidem, & talia poemata fecerũt: putant enim, quoniam vnus erat Hercules, vnam etiam fabulam conuenire.

At Homerus, quemadmodum & in alijs excellit, sic etiam hoc videtur pulchre vidisse, siue propter artem, siue propter naturam. Odyßeam enim faciens non descripsit omnia, quæcunque ipsi contigerunt, vt eum accepisse vulnus in Parnaßo, & simulasse insaniam in coitione exercitus, ex quibus non erat neceßarium, altero facto, alterum factum esse: sed circa vnam actionem, qualem dicimus esse Odysseam, mansit similiter & Iliadem.

Oportet igitur, vt in alijs imitatricibus vna imitatio vnius est, sic & fabulam, quoniam actionis imitatio est, & vnius esse, & huius totius, & partes constare rerum sic, vt transposita aliqua, aut ablata diuersum reddatur, & moueatur totum: quod enim, cum adest, aut non adest, nihil facit, quod appareat; id nec pars quidem est.

X.

Quarta Proprietas Fabulæ.

Manifestum autem est ex ijs, quæ dicta sunt, non esse poetæ munus facta dicere, sed qualia fieri debent, & fieri possunt, secundum verisimile, vel neceßarium.

Nam historicus, & poeta, non eo, quod aut cum metro dicant, aut sine metro, inter se differunt.

Liceret enim, quæ Herodoti sunt in metris ponere, & nihilominus esset historia quædam cum metro, quàm sine metris, sed in hoc est differentia, quod

vnus quidem facta dicit: alter vero, qualia fieri debent.

Quamobrem & res magis philosophica, & melior poesis est, quàm historia. Nam poesis magis vniuersalia: historia magis singularia dicit.

Est autem vniuersale, cum exponitur, quemadmodum tali talia contingat dicere, aut facere secundum verisimile, aut necessarium, id quod spectat poesis, nomina imponens.

Singulare vero, quid Alcibiades fecerit, aut passus sit. Ac in Comœdia quidem iam hoc manifestum factum est. Nam cum constituerint fabulam per verisimilia, sic quælibet nomina imponunt, & non vt Iambici circa aliquem singularem faciunt.

In Tragædia autem factis nominibus hærent. Caussa vero est, quòd persuasibile est possibile. Ac non facta quidem non credimus esse possibilia, Facta vero manifestum est possibilia esse, non enim facta essent, si impossibilia essent.

Nec tamen non in aliquibus Tragædijs, vnum, aut duo sunt ex notis nominibus, alia vero ficta.

In quibusdam autem nullum, vt in Agathonis flore, similiter enim in hoc & res, & nomina ficta sunt, & nihilominus delectat. Quare non omnino quærendum est, vt tarditis fabulis, in quib. Tragædiæ versantur, hæreamus, nam est ridiculum hoc quærere: quoniam & nota paucis nota sunt, & tamen delectant omnes.

Manifestum igitur est ex his, poetam esse oportere magis fabularum effectorem, quàm metrorum, quatenus poeta secundum imitationem est: imitatur autem actiones.

Quamuis igitur contigerit facta pangere, nihilominus poeta est. Factorum enim nonnulla nihil prohibet talia esse, qualia uerisimile est fieri, & possibilia esse, secundum quod ille ipsorum poeta est.

X I.

Quinta Proprietas Fabulæ.

Simplicium autem fabularum, & actionum Episodicæ sunt pessimæ. Dico Episodicam fabulam, in qua Episodia post altera esse neque verisimile, neque necesse est.

Ac tales efficiuntur a malis quidem poetis propter ipsos: à bonis vero propter

propter histriones. Certamina enim facientes, & supra facultatem fabulā extendentes distorquere sæpenumero coguntur, quod ex ordine est.

XII.

Sexta Proprietas Fabulæ.

QVoniam autem non solum est perfectæ actionis imitatio, sed etiam terribilium, & miserabilium, atque hæc fiunt maxime talia, & magis, cum fiant præter opinionem inter se: nam admirabile sic habebunt magis, quàm si a casu, & fortuna; quoniam & eorum, quæ a fortuna sunt, hæc maxime admirabilia videntur, quæcunque tanquam ex industria apparent facta fuisse, sicuti statua Mityi Argis interfecit eum, qui fuit causa interitus Mityi, cum in eius caput incidisset, dum ipse spectaret; videntur enim talia non temere facta esse: idcirco necesse est, tales fabulas pulchriores esse.

XIII.

Septima Proprietas Fabulæ.

AC fabularum aliæ simplices sunt, aliæ implexæ. Etenim actiones, quarum imitationes fabulæ sunt, ne aliud quaramus, sunt tales.

Appello simplicem actionem, qua facta, ut definitum est, continua, & una, transitus fit sine peripetia, vel agnitione.

Implexa est, ex qua cum agnitione, aut peripetia, aut ambabus transitus fit. Hæc autem oportet fieri ex ipsa constitutione fabulæ, vt ex antecedentis, aut ex necessitate, aut secundum verisimile hæc fieri contingat. Differt enim multum, vtrum hæc propter hæc, an post hæc fiant.

Est vero peripetia in contrarium eorum, quæ aguntur, mutatio, vt dictū est. Atque hoc, vt dicimus, secundum verisimile, aut necessarium. Vt in Oedipode, cum venisset nuntius, tanquam lætitiam allaturus Oedipodi,

cumque

eumque metu liberaturus aduersus matrem, vt aperuit, quisnam esset, contrarium fecit. Et in Lynceo, cum ipse quidem duceretur, vt moriturus, Danaus vero persequeretur, ut interfecturus; hunc quidem contigit ex rebus gestis mori, illum vero seruari.

Agnitio autem est, vt etiam nomen significat, ex ignoratione in cognitionem mutatio, aut ad amicitiam, aut inimicitiam eorum, qui ad prosperã fortunam, vel aduersam definiti sunt. Ac pulcherrima agnitio est, cum simul peripetiæ fiunt, vt se habet in Oedipode. Ac sunt quidem etiam aliæ agnitiones. Etenim ad inanimata pertinet agnitio, & ad quæcunque, vt dictum est, a fortuna aliquando esse contingit. Et si fecit aliquis, aut non fecit, licet agnoscere. Sed quæ maxime pertinet ad fabulam, & quæ maxime ad actionem, est ea, quæ dicta est. Talis enim agnitio, & peripetia aut misericordiam habebit, aut metum, qualium actionum Tragœdia imitatio supponitur. præterea vero & aduersa fortuna uti, & prospera in talibus continget. Iam quoniam agnitio quorundam est agnitio, aliæ quidem sunt alterius ad alterum solum; cum fuerit manifestus alter, quis sit: aliquando vero ambos oportet agnoscere, vt Iphigenia ab Oreste agnita est ex missione epistolæ: illi autem erga Iphigeniam alia opus fuit agnitione.

X I I I I:

Octaua Proprietas Fabulæ.

AC *duæ quidem fabulæ partes circa hæc sunt, peripetia, & agnitio. Tertia vero est passio. Atque ex his peripetia, & agnitio exposita sunt.*

Passio vero est actio habens vim interimendi, aut graues dolores afferendi, vt quæ in aperto sunt mortes, & eiulationes, & vulnerationes, & quæcunque talia.

X V.

De Partib. quantitatis in Fabula Tragica.

PArtes Tragædiæ, quibus, vt formis oportet vti, prius diximus. At secundum quantitatem, & in quas ipsa diuiditur separatas, hæ sunt, prologus, episodium, exodus, choricum; & huius quidem vna pars parodus: altera vero stasimum. Atque hæ quidem communes omnium: propriæ vero illæ à scena, & comi.

Ac prologus est pars integra Tragœdiæ ante chori parodum.

Episodium pars integra Tragœdiæ interiecta inter integros choricos cantus.

Exodus pars integra Tragœdiæ, postquam non est chori cantus.

Chorici autem parodus prima dictio integri chori: stasimum vero cantus chori sine anapesto, & trochæo.

At commus lamentatio communis chori, & à scena. Ac partes quidẽ Tragœdiæ, quib. oportet vti, prius dictæ. At secundum quantitatem, & in quas ipsa diuiditur separatas, hæ sunt.

Quæ vero oportet spectare, & quæ oportet cauere constituentes fabulas, & unde erit Tragœdiæ opus, sequitur, vt dicamus, post illa, quæ adhuc dicta sunt.

X V I.

De Constitutione pulcherrimæ Tragœdiæ.

QVoniam igitur constitutionem pulcherrimæ Tragœdiæ oportet esse non simplicem, sed nexam, eamque terribilium, & miserabilium imitationem (hoc enim proprium huiusmodi est imitationis.)

Primum quidem manifestum est, neque æquos viros mutatos apparere oportere ex prospera fortuna in aduersam; id enim non est terribile, nec miserabile, sed sceleratum: neque improbos ex infortunio in prosperam fortunam; id enim maxime omnium a Tragœdia alienum est, quia nihil habet eorum, quæ oportet, neque enim gratum hominibus, neque miserabile,

miserabile, neque terribile est; neque rursus valde malum ex prospera fortuna in aduersum cadere; quod enim gratum est hominibus, id quidem habet talis constitutio, sed neque misericordiam habet, neque timorem; illa enim est circa eum, qui indigne aduersa fortuna utatur, hic uero circa similem, quare neque miserabile, neque terribile apparet, quod contingit.

Reliquus igitur est inter hos interiectus. Est autem talis, qui neq; virtute præstat, & iustitia.

Neque propter vitium, & prauitatem mutatur in aduersam fortunã, sed propter errorem aliquem eorum, qui sunt in magna existimatione, & fortunæ prosperitate, cuiusmodi Oedipus, & Thyestes, & qui ex talibus familijs illustres uiri sunt.

Necesse enim est egregie se habentem fabulam esse magis simplicem, quàm duplicem, ut quidam dicunt, & mutari non in prosperam fortunam ex aduersa, sed contra ex prospera in aduersam, non propter improbitatẽ, sed propter errorem magnum, aut talis personæ, qualis dictum est, aut melioris magis, quam peioris. signum autem est etiam id, quod obseruatur. Nam antea quidem poetæ quaslibet fabulas enumerabant: nunc vero circa paucas domos pulcherrimæ componuntur Tragędiæ, ut circa Alcmęonem, & Oedipum, & Orestem, & Meleagrum, & Thyestem, et Telephũ, & quibuscunque alijs contingit aut atrocia pati, aut facere.

Ac secundum artem quidem pulcherrima est Tragędia ex hac constitutione. Quare & errant, qui accusant Euripidem in eadem re, quòd hoc faciat in Tragędijs; & multæ ipsius in aduersam fortunam terminent. Id.n. rectum est, ut diximus.

Ac signum maximum est, quòd in scenis, & certaminibus tales maximè apparent Tragicæ, si recte dirigantur; & Euripides quamuis alia non bene disponat, hac tamẽ in parte inter poetas maximè apparet Tragicus.

Iamuero secunda constitutio est, quæ a quibusdam prima dicta est, eius fabulæ, quæ duplicem habet constitutionem, ut Odyssea; & desinit ex contrarietate, melioribus, & peioribus. Videtur autem esse prima propter theatrorum imbecillitatem. Nam poetæ eam consequuntur, morem gerentes spectatoribus.

Atque hæc ea non est, quæ a Tragædia proficiscitur, uoluptas, sed magis Comędiæ propria: in ea enim fabula si inimicissimi sint, ut Orestes, & Aegistus, amici tandem facti exeunt; & nullus per alterum moritur.

Ac licet quidem terribile, & miserabile ex apparatu fieri: licet vero etiam ex ipsa constitutione id quod prius est, & poetæ melioris. oportet enim etiam sine uisu fabulam sic constitutam esse, ut audiens res, quæ fiũt,

& horreat,

& horreat,& misereatur,ex ijs,quæ contingunt. in quas perturbationes cadet ille,qui Oedipodis fabulam audiat.Efficere autem hoc per apparatũ est magis artificij expers,& sumptus requirit. Atque qui non solum terribile propter apparatum,sed monstruosum efficiunt, nihil commune habent cum Tragœdia.Non enim omnem a Tragœdia oportet voluptatem quærere,sed propriam. Quoniam vero ex misericordia,& metu per imitationem poetam efficere oportet voluptatem,id in rebus efficiendum esse, manifestum est.

Qualia igitur atrocia,aut qualia miserabilia appareant, ex ijs assumamus,quæ contingunt. Necesse autem est, aut amicorum esse inter se tales actiones,aut inimicorum,aut neutrorum.

Quod si inimicus inimicum occiderit,nihil miserabile neque dum facit, neque dum facturus est,monstrat,præterquàm in illa ipsa perpessione.

Neque qui se neutro modo habent.

Quando autem in amicitijs sunt perpessiones,vt si frater fratrem, aut filius Patrem,aut mater filium,aut filius matrem occiderit, aut occisurus fuerit,aut tale aliquid aliud faciat;hæc quærere oportet.

Ac receptas quidem fabulas soluere non licet,dico autem, vt Clitemnestram occisam ab Oreste,& Eryphylem ab Alcmæone. Ipsum vero inuenire;ac traditis recte vti oportet.Idque quod dicimus, se recte habere, apertius exponamus.

Licet enim sic actionem fieri, vt antiqui faciebant, vt eam præstarent scientes,& cognoscentes,quemadmodum occidentem filium Medeam Euripides fecit.

Ac licet agere ita,vt ignorantes rem agant atrocem,postea uero amicitiam agnoscant,vt Sophoclis Oedipus. Atque hoc quidem extra actionem.In ipsa vero Tragœdia,vt Alcmæon Astydamantis,vel Telegonus in vulnerato Vlysse.

Præterea tertium est,cum quis aliquid Sæui propter ignorantiam facturus erat,&,prinsquam faceret,agnouit. Et præter hæc aliter non licet.Aut enim facere necesse est,aut non:& scientes,aut non scientes.

Horum autem pessimum est,cum quis facturus fuit,& non fecit. sceleratum enim habet, & non Tragicum,nam sine perpessione est. Quare nemo facit similiter,nisi raro,vt in Antigona Creontem Aemon.

Nam fecisse secundum est.

Ac melius est ignorantem quidem fecisse,cum autem fecerit,agnouisse:sceleratum enim non adest,& agnitio stuporem gignit.

Optimum vero est postremum.Dico autem,vt in Ctesphonte Merope

interfectura quidem filium erat, sed, cum agnouisset, non interfecit. Et in Iphigenia soror fratrem. Et in Helle filius matrem dediturus agnouit. Qua propter, quod pridiem dictum est, non circa multas sunt Tragœdiæ familias. Quærentes enim non ab arte, sed a fortuna, huiusmodi fabulæ confectionem inuenerunt. Itaque ad has domos coguntur occurrere, quibuscunque tales contigerunt perturbationes. Ac de rerum constitutione, & quales fabulas esse oporteat, satis dictum est.

XVII.

De Moribus Tragicæ Personæ.

Cæterum de moribus quattuor sunt, quæ spectare oportet. Unum quidem, & primum. quomodo boni sint. Habebit autem mores, si, ut dictum est, oratio aut actio manifestam efficiat prælectionem aliquam; malos quidem, si malam: bonos vero, si bonam. Est vero hoc in vnoquoque genere. Etenim mulier est bona, & seruus, etiam si fortasse ex his illud quidem pe ius; hoc omnino malum est. Secundum est, quomodo sint conuenientes. Est enim virorum mos, sed non conueniens mulieri fortem, vel terribilem esse.

Tertium quomodo sint similes, hoc enim aliud est ab eo, quod est bonos, & conuenientes mores facere, ut dictum est.

Quartum, quomodo æquales. Tametsi enim inæqualis quidam sit, qui præbet imitationem, & talibus moribus suppositus sit: tamen æqualiter inæqualem oportet esse.

Est autem exemplum improborum morum, non ex necessitate, vt Menelaus in Oreste.

Eius vero. quod non deceat, & non conueniat, tum lamentatio Vlyssis in Scylla, tum Menalippæ dictio. At inæqualium in Aulidie Iphigenia: nullam enim in partem similis est, dum orat, ei, quæ apparet posterius. Oportet autem & in moribus, vt etiam in rerum constitutione, semper quærere vel necessarium, vel verisimile; & hoc post hoc fieri vel ex necessitate, vel ex verisimilitudine.

XVIII.

De Solutionibus Fabularum.

De Spectanda morum pulchritudine.

De ijs, quæ sub sensum cadunt.

Apparet igitur & solutiones fabularum ex ipsa oportere fabula contingere, & non ut in Medea a machina, & in Iliade ea, quæ sunt circa renauigationem.

Sed machina uti opus est ad ea, quæ sunt extra actionem, aut quæcunque ante facta sunt, quę fieri non potest, vt homo sciat, aut quæcunque postea, quę egent prædicatione, & nunciatione: omnia enim videre tribuimus deis.

At sine ratione in rebus nihil esse oportet:

Sin minus, id extra Tragædiam sit; ut quæ sunt in Oedipode Sophoclis.

Quoniam autem Tragædia est meliorum imitatio, oportet nos imitari bonos formarum fictores. Etenim illi, cum tribuant propriam formam, faciendo similes, pulchriores fingunt. sic etiam oportet poetam imitantē & iracundos & quietos, & alia talia habentes in moribus, cum tales sint, mansuetudinis facere exemplum, ac duritiæ, vt Achillem bonum etiam Homerus.

Iamuero hæc oportet seruare; & ad hæc ea, quæ sub sensum cadunt, consequentia poeticæ præter illa, quę sunt ex necessitate, etenim secundum ipsa sæpenumero contingit peccare. Dictum autem est satis de ipsis in editis libris.

XIX.

De Agnitione.

Ac agnitio quid sit, dictum est prius.

Species autem agnitionis prima est, quæ maxime expers est artis, & qua plurimi vtuntur propter penuriam, quę per signa fit; eaque

partim innata, vt lanceam, quam Terrigenę ferunt, aut stellas, quales in Thyeste dicit Carcinus: partim aduentitia, aut in corpore, vt cicatrices, aut extra, vt monilia, & vt in Tirone per scapham. Ac licet his vti uel melius, vel peius, vt Vlyßes per cicatricem aliter agnitus est a nutrice, aliter a subulcis. Et sunt quidem, quæ fidei caussa adhibentur, magis artis expertes, etiam huiusmodi omnes. Quæ vero ex peripetia, vt quæ in Niptris, meliores.

Secundæ sunt, quæ a poeta factæ sunt. Itaque expertes artis; vt Orestes in Iphigenia agnouit sororem agnitus ab ipsa. Hæc quidem agnita per epistolam: ille vero per signa. Ac ipse quidem dicit, quæ vult, poeta, sed non fabula. Quare a dicto peccato non longe abest (licebat enim quędam interponere) etiam in Sophoclis Tereo radij vox.

Tertia agnitio est, quæ per memoriam fit, cum quis sentit aliquid videndo, vt quæ in Cypriis Dicæogenis: cum enim picturam inspexisset, luxit, & quæ in Alcinoi Apologo, citharędum audiens, & recordatus, lachrymauit, vnde agniti sunt.

Quarta, quę ex syllogismo, vt in choephoris, quia similis quidam venit. Atqui similis nullus præterquam Orestes. ergo iste venit. Et quæ Polydis Sophistæ de Iphigenia, verisimile namque est, Orestem ratiocinari, & sororem immolatam esse, & ipsi contingere immolari. Et in Tydeo Theodectis, quòd cum venisset, vt inuenturus filium, ipse perijt. Et quę in Phęnidibus, cum enim locum vidißent, ratiocinatæ sunt fatum, quòd fato statutum esset ipsis moriendum esse. Etenim ibi expositę sunt.

Est etiam quędam composita ex paralogismo theatri, Vt in Vlysse falso nuncio, hic enim inquit se acrum cogniturum, quem non viderat, ille uero quasi is agnouisset, propterea paralogismum fecit.

Omnium autem optima agnitio est, quæ ex ipsis rebus est, facta consternatione per verisimilia, vt in Sophoclis Oedipode, & Iphigenia: verisimile enim est, eam velle dare litteras: tales enim solæ sine factis signis, & monilibus sunt. At secundæ sunt, quæ per syllogismum fiunt.

X X.
De Subcontratijs.

FAbulæ autem sunt constituendæ, & elocutione conficiendę, quàm maxime ante oculos ponendo. sic enim euidentissime perspiciens, tanquam reb. ipsis præsens fuerit, dum gerebantur, inueniet, quod decet; & ipsum

ipsum minime fallent subcontraria; signum autem huius rei est, quod reprehenditur in Carcino. Amphiaraus enim è fano exijt, quod fefellit spectatorem non videntem, in scena vero lapsus est, ægrè ferentibus id spectatoribus.

XXI.

De Perturbationibus.

QVantum autem fieri potest, oportet figuris exorando exercere poesim: maxime enim persuasibiles sunt ab eadem natura, qui in perturbationibus sunt. Quamobrem & fluctuare facit fluctuans, & ad iram concitat iratus verissime. Itaque ingeniosi poetica est, vel furore perciti. Ex his enim alij quidem bene formati, alij vero extra se positi sunt.

XXII.

De Fabularum Episodijs.

HOs autem sermones oportet esse factos; & ipsum facientem exponere in uniuersum; deinde episodijs vti, eaque inserere. Dico vero sic vniuersum spectari, vt Iphigeniæ. Cum esset immolata quadam virgo, sublataque immolantibus non manifesto, ac comportata in aliam regionem, in qua lex erat, hospites deæ immolare, hoc sacerdotium obtinuit. Tempore autem sequenti fratri sacerdotis huc venire contigit propter nescio quid, quoniam responsum dedit Deus propter aliquam causam, quæ extra uniuersum est, eo venire, sed quamobrem, id extra fabulam est. Cum vero venisset, & captus esset, dum immolandus esset, agnouit, siue vt Euripides, siue vt Polyides fecit, dicens secūdum verisimile non solum sororem, sed etiam ipsum sacrificari oportuisse, & hinc salutem.

Post hæc cum quis iam nomina supposuerit, eum episodijs vti oportebit.

Et quando erunt propria episodia, considerare, vt in Oreste insania, propter quam captus est, & salus per expiationem.

Ac in dramatibus quidem episodia concisa sunt. Epopœia vero his producitur.

ducitur. Odyssea enim longus sermo est; de quodam multos annos peregrinante, & obseruato à Neptuno, & dum solus esset, & preterea sic se habentibus domesticis reb. vt fortunę ipsius a procis consumerentur, & filius insidijs peteretur, ipse venit tempestatibus perturbatus, &, cum quosdam agnouisset, ipsos decipiens, ipse quidem seruatus est, inimicos vero perdidit. Ac proprium quidem est hoc, alia vero episodia.

XXIII.

De Tragædiæ nexu, & solutione.

Est autem omnis Tragædiæ vna quidem pars nexus; altera vero solutio.

Ea quidem, quę sunt extra, & aliqua eorum, quæ intra, sæpenumero sunt nexus.

Reliquum vero est solutio.

Dico autem nexum esse eum, qui a principio est vsque ad eam partem, quæ postrema est, ex qua transit in prosperam fortunam, vel aduersam.

Solutionem vero, quę est a principio transitus vsque ad finem, vt in Lynceo Theodectis nexus sunt ea, quæ gesta sunt, & pueri sumptio.

At solutio, quæ est ab obiectione mortis vsque ad finem.

XXIIII.

De Tragœdiæ speciebus.

Tragædię species sunt quattuor; tot enim etiam partes dictæ sunt.

Vna quidem implexa, cuius totum est peripetia, & agnitio.

Altera uero affecta, vt Aiaces, & Ixiones.

Tertia morata, vt Phthiotides, & Peleus.

Quarta, vt Phorcides, & Prometheus, & quæcunque apud inferos.

De

XXV.

De Poetarum præsentia.

AC omnia quidem, maximopere conandum eſt, vt habeantur.

Sit autem, maxima, & plurima, præſertim, vt nunc criminationem obijciunt poetis. Cum enim boni fuerint ſecundum vnamquamque partem poetæ, vnum ſuperare ſingulos in proprio bono, dignum exiſtimant.

XXVI.

De Tragædia alia, Et eadem.

IVſtum autem eſt & Tragędiam aliam, & eandem dicere, nibil fortaſſe ob fabulam. Hoc vero intelligitur in ijs, quarum eadem plicatio, & ſolutio eſt.

Multi autem, qui bene plicarunt, ſoluunt male. Ac ambo ſemper cũ plauſu excipi oportet.

XXVII.

De Conſtitutione Fabularum.

ET oportet, quod dictum eſt, ſępe in memoriam reuocare, & non efficere, vt Tragædia ſit epopęica conſtitutio. Dico Epopæicam, quæ multas fabulas continet, vt ſi quis totam fabulam Iliadis conficiat. ibi enim propter longitudinem partes aſſumunt conuenientem magnitudinem. In Dramatibus vero multum præter exiſtimationem accidit, ſignum vero eſt, quòd quicunque expugnationem Ilij totum fecerunt, & non ſecundum partem, ut Euripides Hecubam, & non vt Aeſchylus, vel labuntur, vel male certant. ſiquidem Agathon in hoc ſolo lapſus eſt.

De

XXVIII.

De Admirabili.

IN peripetijs autem, & in simplicibus rebus assequuntur, quod volunt, per admirabile.

Tragicum enim hoc, & gratum hominibus.

Est autem hoc, quando sapiens quidem, sed cum improbitate deceptus fuerit, ut Sisyphus; & fortis quidem, sed iniustus superatus sit.

Atque hoc verisimile est, ut Agathon dicit. Verisimile enim est multa fieri etiam praeter verisimile.

XXIX.

De Choro in actione inserto.

ET existimandum est, chorum esse unum de histrionibus, & partem totius, ac simul contendere, non ut apud Euripidem, sed ut apud Sophoclem. Quae vero conceduntur aliis, magis sunt fabulę, & Tragędiae alterius. Quamobrem embolima canunt, cum primus Agathon rem talem inceperit. Atqui quid interest, si quis embolima canat, uel dictionem ex alio in aliud accommodet?

XXX.

De Sententia.

AC de alijs quidem iam dictum est. Reliquum vero est de elocutione, vel sententia dicere. Ac quae pertinent quidem ad sententiam, in libris de Rhetorica posita sunt: hoc enim methodi illius magis est proprium, sunt autem secundum sententiam ea, quaecunque ab oratione paranda sunt.

Et eorum partes sunt, tum demonstrare, & soluere; tum perturbationes parare

nes parare, ut misericordiam, vel metum, vel iram, & quæcunque talia: tum præterea amplificare, & diminuere. Manifestum autem est, & in actionibus utendum esse ijsdem formis, cum miserabilia, aut terribilia, aut magna, aut uerisimilia parare oportuerit; nisi quòd ea sola differentia est, quòd hæc quidem apparere sine doctrina oportet: quæ vero in oratione posita sunt, à dicente parari, & per orationem fieri. Quod.n. esset dicentis munus, si apparerent iucunda, & non per orationem?

XXXI.

Pronunciationem pertinere ad Elocutionem.

EOrum uero, quæ pertinent ad elocutionem; vna species est contemplationis, quæ considerat figuras elocutionis, quas scire est histrionicæ, & eius, qui talem habeat architectonicā, vt quid sit mandatum, & quid precatio, & narratio, & mina, & interrogatio, & responsio, & siquid aliud huiusmodi. Ab horum enim cognitione, vel ignorantia nulla reprehensio in poeticam affertur, quæ curanda sit.

Qui enim fieri potest, vt aliquis existimet errorem commissum esse in ijs, quæ Protagoras reprehendit, quòd putans precari præcipit, dicens, Irā diua cane? Nam iubere, inquit, vt aliquid faciat, aut non faciat, præceptio est. Quamobrem omittatur, vt quæ alterius, & non poeticæ sit contemplatio.

XXXII.

Elocutionis Partes.

IAmuero elocutionis omnis hæ sunt partes, elementum, syllaba, coniunctio, men, verbum, articulus, casus, oratio.

Ac elementum quidem est vox indiuidua, non omnis, sed ex qua naturaliter vox fit, quæ intelligi possit.

Etenim beluarum sunt uoces indiuiduæ, quarum nullum elementum

voco. Huius autem partes sunt tum vocale, tum semiuocale, tum mutum. Atq; vocale est, quod sine ictu vocem habet, quæ audiri potest, vt α, & ω. Semiuocale, quod cum ictu vocem habet, quæ audiri potest, vt σ, & ρ. Mutum, quod cum ictu per se quidem nullam habet uocem, sed cum habentibus aliquam vocem fit huiusmodi, vt audiri possit, vt γ, & δ. Atque hæc inter se differunt tum figuris oris, tum locis, tum crassitudine, tum tenuitate, tum longitudine, tum breuitate, præterea vero acumine, & grauitate, & medio, de quibus singulis in metricis conuenit contemplari.

Syllaba est uox significationis expers, composita ex muto, & vocem habente. Etenim γρ sine α syllaba est, & cum α, ut γρα: sed & horum intueri differentias Metricæ est.

Coniunctio est vox significationis expers, quæ neque impedit, neque facit vocem unam significatiuam, quæ ex pluribus vocibus componatur: tā in extremis, quàm in medio, nisi congruerit in principio orationis ponere per se, vt μὲν, ἤτοι δή: vel vox non significatiua ex pluribus quidem vocibus una, sed significatiuis idonea, quæ faciat vnam vocem.

Articulus est vox significationis expers, orationis initium, aut finem, aut distinctionem indicans, vt τὸ φημὶ τὸ περὶ, & alia: vel vox significationis expers, quæ neque impedit, neque facit vocem vnam significatiuam ex pluribus vocibus idoneam, quæ componatur & in extremis, & in medio.

Nomen est vox composita significatiua sine tempore, cuius pars nulla est per se significatiua. Nam in duplicibus non vtimur, vt etiam ipsum per se significet, ueluti in Theodoro illud δῶρον non significat.

Verbum est vox composita significatiua cū tempore, cuius per se pars nulla significat, ut etiam in nominibus. Illud enim homo, vel album, non adsignificat quando. At illud ambulat, vel ambulauit, adsignificat; alterum quidem præsens tempus: alterum vero præteritum. Casus est nominis, aut verbi; vnum quidem secundum id, quod est huius, vel huic significans, & quæcunque talia: alter uero secundum id, quod vni, uel multis, vt homines, uel homo: alius autem secundum ea, quæ ad gestum pertinent, ut per interrogationem, vel præceptionem. Nam ambulauit, uel ambulat, casus verbi secundum has species est.

Oratio est uox composita significatiua, cuius aliquæ partes per se significant aliquid; nec enim omnis oratio ex verbis constat, & nominibus, quēadmodum hominis definitio: sed contingit sine uerbis esse orationem. Atqui partem semper quampiam significantem habebit, ut in illo, Ambulat Cleon, idipsum Cleon. Vna autem est oratio duobus modis; aut enim quæ

vnum

vnum significat: aut quæ ex pluribus coniunctionibus est, ut Ilias quidem est coniunctione vna: hominis uero definitio eò, quòd vnum significet.

XXXIII.

Nominis species.

IAm nominis species vna quidem simplex est (voco simplicẽ quæ constat ex non significantib.) altera vero duplex; atque hæc partim ex significante, & non significante: partim ex significantibus constat. potest etiam esse & triplex, & quadruplex nomen, & multiplex, vt multa Megaliotarum, Hermocaicoxanthus.

Omne autem nomen est aut proprium, aut lingua, aut translatio, aut ornatus, aut factum, aut protractum, aut subtractum, aut immutatum.

Voco proprium, quo utuntur singuli. Linguam illud, quo diuersi. Quamobrem apparet fieri posse, ut lingua, & proprium sit idem, non autẽ iisdem. Nam Sygynnon Cypriis est proprium, nobis lingua.

Translatio est nominis alieni illatio, aut à genere ad speciem, aut a specie ad genus, aut a specie ad speciem, aut secundum proportionem. Dico a genere ad speciem, vt, Nauis autem mihi hæc stetit. Nam in portu esse, stare quoddam est. A specie ad genus, Iam decem millia Vlysses bona egit. Nam decem millia multa sunt, quibus nunc vsus est pro multis. A specie ad speciem, vt Aere animum cum hausisset, incidit indefesso aere. hic enim haurire pro incidere, & incidere pro haurire dixit: ambo enim sunt quoddam auferre. Proportionem dico, quando similiter se habeat secundum ad primum, ac quartum ad tertium. nam dicit pro secundo quartum, aut pro quarto secundum. & interdum apponunt pro quo dicit, ad quod est. Dico autem, ut similiter se habet poculum ad Bacchum, & scutum ad Martem. Dicet igitur & scutum poculum Martis, & poculum scutum Bacchi. præterea similiter se habet vesper ad diem, & senectus ad uitam. Dicet igitur vesperam senectutem diei, & senectutem vesperam vitæ; vel, vt Empedocles, occasum vitæ. Non nullis vero non est nomen positũ eorum, quæ sunt ex proportione: sed nihilominus similiter dicetur, vt illud, semen quidem iacere serere: flammam vero emittit à sole sine nomine est, sed similiter se habet hoc ad solem, & serere ad semen. Quamobem dictum

est, ferens a Deo conditam flammam. Ac licet vti hoc translationis modo, & aliter, vt, cum appellauerit id, quod alienum est, neget aliquid eorum, quæ propria sunt: ut si scutum dicat poculum non Martis, sed sine vino.

Factum est, quod ab aliquibus prorsus. non appellatum ipse ponit poeta: videntur enim aliqua esse talia, vt cornua ἐρνύγας, *& sacerdotem* ἀρητῆρα.

Protractum est, vel subtractum, illud quidem, si uocali longiore usum fuerit, quàm propria sit; vel syllaba inculcata: hoc vero, si sublatum fuerit quippiam uel ab ipso, vel ab eo, quod inculcatum est. protractum quidem, vt illud, πόλεος πόληος, *& illud* πηλείδου πηληϊάδεω. *sublatum vero, vt illud,* κρῖ, *& illud* δῶ. *&* μία γίνεται ἀμφοτέρων ὄψ.

Immutatum est, quod nominati vnam quidem partem reliquerit, alteram vero fecerit, vt illud, δεξιτερὸν κατὰ μαζόν, *pro* δεξιόν.

XXXIIII.

Nominum Genera.

PRaterea ex nominibus alia uirilia, alia muliebria, alia interiecta.

Virilia quidem, quæcunque desinunt in ν, *&* ρ, *& quæcunque ex aliquo eorum, quæ muta sunt, constant. Atque ea sunt duo,* ψ, *&* ξ.

Muliebria vero, quæcunque ex uocalibus in ea, quę semper longa sunt, vt in η, *&* ω, *& ex ijs quæ producuntur in* α. *Quare euenit, vt æqualia sint multitudine, in quæcunque desinunt uirilia, & muliebria. Nam* ψ, *&* ξ *eadem sunt. In mutum autem nullum nomen desinit, neque in uocale breue. At in* ι *tria sola,* μέλι, κόμμι, πέπερι. *Et in* υ *quinque* πῶυ, νάπυ, γόνυ, δόρυ, ἄστυ

Interiecta uero in hæc, & ν, *&* ς,

Te

XXXV.

De Nominibus peregrinis, & translatis cum proprijs temperandis.

E Locutionis autem uirtus est, ut sit perspicua, & non humilis.

Ac maxime quidem perspicua est, quæ ex proprijs nominibus constat, sed humilis. Exemplum est Cleophontis poesis, & Stheneli.

At grandis, & immutans id, quod uulgare est, quæ peregrinis utitur. Peregrinum autem uoco linguam, & translationem, & protractionem, & quidquid præter proprium est.

Sed si quis simul omnia talia fecerit, aut ænigma erit, aut barbarismus. si igitur ex translationibus, ænigma: si ex linguis, etiam barbarismus. Aenigmatis autem forma est, ut qui dicit, copulet ea, quæ fieri non possunt. At secundum compositionem quidem nominum id fieri non potest, uerum secundum translationem contingit, ut Virum vidi igne æs uiro agglutinantem. & talia. Ex linguis uero barbarismus. Quamobrem aliquo modo his temperatur.

Ac non uulgare quidem efficiet, neque humile lingua, & translatio, & ornatus, & aliæ formæ quæ dictæ sunt: perspicuitatem uero proprium.

At non minimam partem conferunt ad perspicuam elocutionem, & nõ uulgarem protractiones, & subtractiones, & immutationes nominum. Nam quoniam hoc aliter se habet, ac proprium; quod factum est præter consuetum, non vulgare efficiet. Quoniam autem commune aliquid habet cum eo, quod est consuetum; erit perspicuum.

De

XXXVI.

De modo seruando in vsu variorum nominum.

Quare non recte vituperant, qui reprehendunt talem modum locutionis, ac maledictis poetam insectantur, vt Euclides ille antiquus: quòd facile sit poetice agere, siquis concesserit protrahere, quantum uelit, eum, qui iambis vsus sit in eadē locutione, vt

ἤ τίχαριν ἴδον μαραθῶνα δὲ βαδίζοντα.

Et

οὐκ ἄν γειράμενος τὸν ἐκείνου ἔξελε βορόν.

Ac cum appareat quidem aliquo modo, aliquem sequi hunc ipsum vsum, id ridiculum est. Mensura vero communis est omnium partium. Etenim qui translationibus, & linguis, & alijs formis vteretur indecore, & studiose ad ridicula, idem efficeret.

Id autem, quod congruit, quantum excellat in heroico carmine, conside retur, iniectis nominibus in metrum. Et certe in linguis, & in translationibus, & in alijs formis, si quis posuerit propria nomina; videbit a nobis dici ea, quæ vera sunt, vt cum eundem iambicum fecit Aeschylus, & Euripides, & unum solum nomen immutauit, & posuit linguam pro proprio consueto.

Atque vnum quidem apparet pulchrum:
Alterum vero humile.
Nam Aeschylus in Philoctete fecit,
φαγέδαινα ἥ μου σάρκας ἐσθίει ποδός.
Phagedæna quæ mei carnes comedit pedis.
Hic uero pro ἐσθίει posuit θοινᾶται, epulatur.
Et
Νῦν δέ μ' ἐὼν ὀλίγος τε, καὶ οὐτιδανός, καὶ ἀεικής.
Nunc autem me qui est paruusque & nihili, & indecens.
Siquis dicit positis proprijs,
Νῦν δέ μ' ἐὼν μικρός τε, καὶ ἀσθενικὸς, καὶ ἀειδής.
Nunc autem me qui est paucusque, & imbecillis, & deformis.
Et,
Δίφρον ἀεικέλιον καταθεὶς ὀλίγην τε τράπεζαν.

Sed ille

Sedile non conueniens cum posuißet, paucamque mensam.

Et illud,

Ἠϊόνες βοόωσιν, ἠϊόνες κράζουσιν.

Littora vociferantur, littora clamant.

Praterea vero Ariphrades Tragędis maledicebat, quòd quæ nemo diceret in sermone, ijs vterentur, quale illud est; δωμάτων ἄπο domibus ab, sed non ἀπὸ δωμάτων à domibus: & illud, σέθεν sui: & illud, ἐγὼ δέ νιν, Ego autem ipsum: & illud, Ἀχιλλέως πέρι Achille de, sed non περὶ Ἀχιλλέως, de Achille: & quæcunque alia talia. Nam, quoniam non sunt in proprijs, faciunt id, quod non uulgare est hæc omnia in elocutione: ille vero hoc nesciebat.

Iam magnum est vti congruenter vnoquoque de ijs, quæ dicta sunt, & duplicibus nominibus, & linguis; at maximum est, metaphoricum esse: solum enim, hoc neque ab alio licet assumere; & boni ingenij signum est, bene enim transferre est simile intueri.

Ex nominibus autem duplicia quidem maxime conueniunt dithyrambis, linguæ uero heroicis; at translationes iambicis. Et in heroicis quidem omnia utilia, quæ dicta sunt: verum in iambicis, quia quàm maxime collocutionem imitantur, ex nominibus illa congruunt, quibuscunque etiam in sermonibus aliquis vteretur. Sunt autem talia proprium, & translatio, & ornatus. Ac de Tragœdia quidem. & de imitatione, quæ in agendo posita est, nobis satis sint, quæ exposita sunt.

XXXVII.

De Epopœia.

DE narratiua autem, & in metro imitatione oportet fabulas constituere, quemadmodum dramaticas in Tragędijs, & circa vnam actionem, totam, & perfectam habentem principium, & medium, & finem, ut quęadmodum animal vnũ totum efficiat propriam uoluptatem, nec similes esse historias consuetas, in quibus necesse est non vnius actionis efficere expositionẽ, sed unius tẽporis, quæcunq; in eo euenerũt circa vnũ, uel plures, quorũ vnumquodque, ut sors tulit, alterum respicit. Quemadmodum enim secundum eadem tempora & in Salamine facta est naualis pugna, & in Sicilia

Cartha-

Carthaginiensium pugna, nequaquam ad eundem tendentes finem.

Sic & in temporibus consequentibus aliquando fit alterum cum altero, ex quibus non est unus finis. Ac ferme id faciunt poetarum multi.

Quamobrem, vt iam dicebamus, & in hac parte diuinus apparere Homerus præter cæteros potest, & quia neque bellum, quamuis habens principium, & finem, aggressus est versibus totum describere: valde enim magnum, & quod non facile conspici poterat, euasurum erat, vel magnitudine se modice habens intertextum uarietate. nunc autem cum abstulisset vnam partem, episodijs vsus est ipsorum multis, vt nauium catalogo, & alijs episodijs, quibus distinguit poesim.

Alij vero circa unum canunt, & circa unum tempus, & unam actionem multarũ partium, vt qui Cypria fecit, & paruam Iliadem. Igitur ex Iliade, & Odyßea vna Tragœdia fit ex utraque, uel duæ solæ. At ex Cyprijs multæ, & ex parua Iliade plus quàm octo, ut Armorum iudicium, Philoctetes, Neoptolemus, Eurypilus, Mendicatio, Lacæna, Ilij direptio, & Reditus classis, & Sinon, & Troiades.

XXXVIII.

Conuenientia inter Epopœiam, & Tragædiam.

PRæterea uero Epopœiam oportet habere formas easdem cum Tragœdia, aut enim simplicem, aut implexam, aut moratam, aut affectam oportet esse.

Et partes extra Melopeiam, & apparatum easdem. Etenim ei opus est peripetijs, & agnitionibus, et affectibus. præterea sententias, & elocutionem recte habere.

Quibus omnibus Homerus vsus est primus, & satis. Etenim poematum vtrumque constitutum est, Ilias quidem simplex, & affectum. Odyssea uero implexum, agnitio enim per totum, & moralis est.

Ad hæc dictione, & sententia omnes superauit.

Diffe-

XXXIX.

Differentia inter Epopœiam & Tragœdiam.

Differt autem Epopœia & constitutionis longitudine, & metro.

Ac longitudinis quidem terminus sufficiens dictus est. Debet enim esse eiusmodi, ut simul conspici & principium, et finis possit. Id sane esset, si priscis minores constitutiones essent, & peruenirent ad multitudinem Tragœdiarum, quæ in vnam ponerentur auditionem. Habet vero multum quiddam Epopœia, & quidem proprium, ut extendere magnitudinem possit.

Propterea quòd non contingit in Tragœdia imitari multas partes, quæ eodem tempore geruntur; sed eam solam, quæ geritur in scena, & histrionum est.

At in Epopœia, quia narratio est, licet efficere, ut simul multæ partes ad finem perducantur, quæ cum propriæ sint, augent poematis molem. Quare hoc habet, quod bonum est, ad magnificentiam, & ad mutationem audientis, & ad incrementum, quod fit dissimilib. episodijs. Simile enim, quod cito satietatem affert, efficit, ut Tragœdiæ displiceant.

Metrum autem heroicum ex experientia quadrauit. nam siquis aliquo alio metro narratiuam imitationem efficeret, aut multis, indecorum certe appareret. heroicum enim firmissimum, & tumidissimum est metrorum. Quamobrem & linguas, & translationes maxime recipit. Superuacanea enim est narratiua motio aliorum. Iambicum vero, & Tetrametrum mobilia sunt; hoc quidem ad saltationem accommodatum, illud vero rebus agendis idoneum. Præterea vero absurdius sit, siquis ipsa misceat ut Chæremon. Quamobrem nemo fecit longam constitutionem alio, nisi heroo. sed, ut diximus, ipsa docet natura, & illud ipsum partiamur, quod congruit.

Homerus autem & in alijs multis dignus est, qui laudetur, & in hoc etiam, quòd solus inter poetas id non ignorat, quod ipsum facere oportet. ipsi enim poetæ quàm paucissima dicenda sunt. Etenim ipse non est secundum hæc imitator. Ac alij quidem ipsi per totum in actione versantur, & pauca imitantur, ac paucis in locis. At hic, cum pauca præfatus sit,

statim inducit virum, aut mulierem, aut aliquos alios mores, & nihil morum expers, sed habens mores.

Ac oportet quidem in Tragædijs efficere id, quod admirabile est: sed magis in Epopæia contingit id, quod ratione vacat. Quamobrem contingit maxime id, quod admirabile est, quia non spectant in agentem. Quoniã, quæ euenerunt, circa Hectoris insectationem, in scena certe apparerent ridicula, hi quidem stantes, & non insectantes, hic vero renuens. At in Epicis latent.

Iam admirabile iucundum est. Ac signum est, quòd omnes addentes nũciant, tamquam gratificantes.

Et docuit maxime Homerus alios falsa dicere ut oportet. Atque hoc naturam habet paralogismi, existimant enim homines quando, dum vnum est, aut factum est, alterum fit, si posterius est, etiam prius esse, uel fieri. hoc autem mendacium est. idcirco primum iam certe mendacium est, sed necesse non est, dum vnum est, vt alterum sit, vel fiat, uel apponatur. Nã quia scit, hoc verum esse, falso ratiocinatur animus noster etiam primum, tamquam id, quod sit.

XL.

Vitia communia Epopæiæ, & Tragædiæ.

Eligenda autem sunt, quę fieri non possunt, & uerisimilia sunt, magis, quam quæ fieri possunt, & parum apposita sunt ad persuadendum.

Ac sermones non constituendi ex partibus carentibus ratione, sed maxime quidem, ut nihil habeant, quod careat ratione. si uero non sint tales, at certe habeant extra fabulam, vt Oedipus illud habet, quòd nesciat, quomodo Laius mortuus sit.

Non autem in dramate, vt in Electra, qui Pythia nunciant: aut in Mysis, qui sine uoce ex Tegea in Mysiam venit. quare ridiculum est dicere, fabulam interituram; quia a principio non oportet constituere tales.

Quòd si quis constituerit, & apparuerit magis consentaneum recipere, erit etiam absurdum: quoniam & quæ sunt in Odyssea sine ratione, nempe quæ circa expositionem, nullo modo tolerabilia eße, manifestum foret, si ipsa malus poeta faceret, nunc autem alijs bonis poeta obscurat, iucundum reddens absurdum.

Dictione

Dictione autem oportet laborare in partibus ociosis, & non moratis, neque sententiarum plenis, contra enim occultat dictio valde splendida tum mores, tum sententias.

X L I.

De Excusationibus Poetarum.

Iam de quæstionibus, & solutionibus tum ex quot, tum ex qualibus formis sint, hoc pacto contemplantibus fiet sine dubio manifestum. Quoniam enim poeta est imitator, quemadmodum etiam pictor, vel quis alius imaginum effector, necesse est imitari, de ijs, quæ numero sunt tria, unum aliquod semper.

Aut enim qualia erant, aut sunt.

Aut qualia aiunt, aut videntur.

Aut qualia esse oportet.

Hæc autem exponuntur dictione, vel & linguis, & translationibus. Et multæ affectiones sunt dictionis. hæc enim poetis concedimus.

Præterea vero non est eadem rectitudo politicæ, & poeticæ: neque aliarum artium, & poeticæ. Ipsius autem poeticæ duplex erratum. Nam vnū per se: alterum per accidens, etenim aut præeligit imitationem rei, quæ vltra facultatem est, quod erratum ipsius est: aut præeligit non recte, quod per accidens est; sed fecit equum mouentem vtramque dexteram partem. Aut erratum est secundum vnamquamque artem, quemadmodum secundum Medicinam, aut aliam artem. Aut quæ fieri non possunt, ficta sunt. Hæc igitur, qualiacunque fuerint, non per se sunt.

X L I I.

De tertio capite Solutionum.

Quare reprehensiones in quæstionibus ex his considerando soluendæ sunt.

Primum enim si quæ aduersus ipsam artem sunt, ficta sint huiusmodi,

 vt fieri

vt fieri non possint, erratum sit, sed recte se res habet, si consequitur finem ipsius. finis enim dictus est, quemadmodum si sic magis ad consternandum vel ipsa accommodetur, uel alteram partem accommodet. Exemplum Hectoris insectatio. Nam si finis, vel magis, vel minus contingebat inesse: etiã secundum eam artem, quæ de his est, peccatum est non recte. oportet enim si fieri potest, omnino nusquam errari.

Præterea vtrorum est peccatum maius, eorumne, quæ sunt secundum artem, an eorum, quæ sunt secundum aliud accidens: Minus enim est, si nesciebat in ceruorum specie feminam cornua non habere, quàm si mala imitatione describeret.

XLIII.

De primo capite Solutionum.

AD hæc si opponitur, non esse vera, at qualia oportet, vt Sophocles inquit. ipse quidem se facere, quales oportet: Euripides nero, quales sunt. Quamobrem hac ratione soluendum est. Sin autem neutro modo, quòd sic aiũt, ut quæ de deis dicuntur.

Fortaße enim, neque licet dicere Melius sic: neque vera sunt: sed casu accidit, quemadmodum Xenophanes, sed non aiunt hæc. Fortasse autem non melius quidem, sed sic se res habebat, quemadmodum, quæ de armis dicuntur. Lanceæ vero ipsius rectæ in saurotere, id enim tunc institutum habebant, quemadmodum etiam nunc Illyrici.

De illo autem, quod bene, aut non bene, aut dictum est ab aliquo, aut factum, non solum considerandum est, in ipsum, quod factum est, aut dictũ intuendo, utrum ipsum laude, an reprehensione dignum sit, sed etiam in agentem, aut dicentem, erga quem, aut quando, aut quomodo, aut cuius caussa, quemadmodum aut maioris boni, ut fiat, aut maioris mali, ut ne fiat.

De

XLIIII.

De secundo capite Solutionum.

HAec autem, intuendo ad elocutionem, soluenda sunt, quemadmodum per linguam, οὐρῆας μὲν πρῶτον. Mulos quidē prius, fortaße enim non mulos, sed custodes dicit. & in Dolonem, specie quidem erat malus, non corpore incomposito, sed facie turpi. Nam Cretenses pulchritudinem faciei vocāt εὐειδὲς. Et illud, ζωρότερον δὲ κέραιρε. Meracius autem misce, non meracius, ut temulentis, sed citius.

Illud autem per translationem dictum est,

Ἄλλοι μέν ῥα θεοί τε, καὶ ἀνέρες εὗδον παννύχιοι.

Alij quidem dijque, & homines dormiebant totam noctem. Et illud, ἤτοι ὅτ' ἐς πεδίον τὸ τρωικὸν ἀθρήσειεν, καὶ αὐλῶν, συρίγγων τε ὅμαδον: siue hic in campum Troianum respiceret, & tibiarum, fistularumque vocem. Nam παντες omnes pro hac voce πολλοι multi, secundum translationem dictum est: quia πᾶν omne est, πολύ τι, multum quiddam. Et illud, οἴη δ' ἄμμορος, sola expers, secundum translationem, quod enim notissimum est, solum est.

Et secundum accentum, quemadmodum Hippias Thasius soluebat illud, δίδομεν δὲ οἱ.

Et, τὸ μὲν οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ. Hoc quidem, vbi corrumpitur imbre. Hæc autem diuisione, vt Empedocles, αἶψα δὲ θνητ' ἐφύοντο τὰ πρὶν μάθον ἀθάνατα εἶναι. ζωρά τε πρὶν ἄκρητα.

Exemplo autem mortalia nata sunt, quæ prius didicerant immortalia esse, mixtaque prius pura.

Hæc vero per ambiguitatem, παρῴχηκε δὲ πλέον νύξ. præterijt autem plus, nox. Nam illud πλέον ambiguum est.

Atque hæc secundum consuetudinem locutionis, vt aqua temperatum vinum dicunt esse. vnde factum est, κνημὶς νεοτεύκτου κασσιτέροιο ocreare cens fabrefacti stanni. & vocant χαλκέας ærarios, qui ferrum exercent. vnde dictus est Ganymedes Ioui οἰνοχοεύειν vinum ministrare, non bibentibus vinum dijs. Atque hoc profecto non esset secundum translationem.

Quando autem nomen aliquod videtur subcontrarium aliquod significare, attendendum est, quotupliciter significet hoc in eo, quod dictum est,

est, vt τῇ ῥ' ἔσχετο χάλκεον ἔγχος . . . eò quòd hoc prohibitum sit. Illud autem, Quotupliciter, contingit sic quodammodo, maxime verò si quis suspicetur per eam rationem, quæ è regione est: vel ut Glauco dicit, quod nonnulla sine ratione præsumunt, & ipsi, eum iam alterum condemnauerint, syllogismo concludunt, & tãquam eos, qui dixerint, quod videtur reprehendunt, si subcontrarium fuerit ipsorum existimationi. Atque hoc patiuntur, quæ de Icario dicuntur. Existimant enim ipsum Laconem esse. Absurdum igitur, aiunt, est, non congressum esse cum eo Telemachum, cum Lacedæmona iuit. Idque fortasse se habet, vt Cephalenes aiunt: a se enim vxorem duxisse dicunt Vlyßem, & eße Icadium, non Icarium propter erratum.

XLV.

De tertio, & primo capite Solutionum.

Q*Væstio autem res verisimilis est, omnino verò, quod fieri non potest, vel ad poesim, vel ad melius, vel ad opinionem oportet redigere.*

Nam quod attinet ad poesim, magis eligendum est appositum ad persuadendum, quod fieri non potest, quàm non appositum ad persuadendum, quod fieri potest. Ac fieri non potest, ut tales sint, quales Zeuxis pingebat. verum spectatur etiam melius. nam exemplũ debet exuperare.

Ad ea, quæ aiunt, reducuntur ea, quæ sine ratione sunt, & sic etiam dicendum, quod aliquando non est præter rationem. verisimile enim est, etiam præter verisimile fieri.

Subcontraria uero, vt dicta sunt, oportet considerare, quemadmodum in sermonibus refutationes, si idem, & ad idem, & simili modo. Quare & ipse respicit, aut ad ea, quæ ipse dicit, aut ad id, quod prudens supponat.

XLVI.

De recta reprehensione, & numero reprehensionũ, & Solutionũ.

I*Am recta reprehensio est, & vacare ratione, & prauum apparere, quando, dum necessitas non est, usus fuerit aliquo, quod vacet ratione, quemadmodũ Euripides illo Aegeeti. & prauitate, ut Menelai in Oreste,*

Atque

Atque has quidem reprehensiones ex quinque formis afferunt. Nam sunt aut tamquam ea, quæ fieri non possunt: aut tamquam sine ratione: aut tamquam perniciosa: aut tamquam subcontraria: aut tamquam præter eam rectitudinem, quæ secundum artem est.

Solutiones vero ex dictis numeris considerandæ, & duodecim sunt.

X L V I I.

Quibus rationibus Epopæia videatur Tragædiæ præferenda.

I*Amuero, vtrum sit melior Epopæica imitatio, an Tragica, dubitare aliquis posset.*

Nam si quæ minus onerosa est, melior est, & talis pertinet ad spectatores meliores, manifestum est, quæ omnia imitatur, onerosam esse. Quasi enim non sentientibus, nisi ipse poeta multam adiunxerit motionem, mouẽtur, ut mali tibicines uoluentes se, si discum oporteat imitari, & trahentes coryphęum, si Scyllam cecinerint. Ac Tragœdia quidem talis est, quemadmodum etiam, qui prius fuerunt, existimabant posteriores histriones. Nã Mynniscus Callipedem uocabat tamquam nimis exuperantem simiam. Ac talis quoque opinio de Pindaro erat. Vt autem isti se habent inuicem, sic tota ars ad Epopęiam se habet.

Atque hanc quidem circa spectatores probos aiunt esse. Quamobrem nihil egent figuris.

Tragicam uero ad improbos. Igitur onerosa peior profecto erit.

X L V I I I.

Responsio ad rationes.

A*C primum quidem accusatio non est artis poeticæ, sed histrionicæ. Quoniã potest uti signis etiam, qui recitat Epopęiam; id qđ faciebat Sosistratus, et qui canit; id quod faciebat Mnasitheus Opuntius. Deinde non omnis motio improbanda, siquidem neque saltatio, sed motio improborum. id quod etiam Callipidi uitio dabatur, et nunc alijs. tamquam non ingenuas mulieres imitantibus.*

Præterea Tragœdia etiam sine motione facit illud, quod habet propriũ, ut Epopęia. Nam per lectionem manifesta est, qualis sit. si igitur est in alijs melior, hoc certe, ut ipsi insit, necessarium non est.

Plu-

XLIX.

Pluta,& meliora habet Tragędia,quàm Epopęia.

DEinde,quoniam habet omnia,quæ habet Epopęia,Etenim metro licet uti. et quòd non paruam partem habet Musicam, & Apparatum, per quam voluptates constituuntur euidentissimè. Deinde et euidens habet et in lectione,et in actibus. Accedit,quòd finis imitationis est in minore longitudine.Nā strictius est iucundius,quàm id, quod multi temporis mixtionem habet. Dico autem, quemadmodum siquis componeret Oedipodem Sophoclis in quot uersib.Ilias est.Præterea minus vna est qualiscunque imitatio Epicorum. signum autem est, quòd ex qualicunque imitatione plures Tragędiæ conficiuntur. Quare, si unam fabulam faciant,necesse est,uel ut breuiter ostensa appareat cauda muris, uel vt sequēs metri longitudinem appareat aquea.sed si faciant plures, quemadmodum, si ex pluribus actionib.fuerit composita,non erit una;ut Ilias habet multas tales partes,et Odyssea,quę etiam per se habent magnitudinem, etiam si hæc poemata constituta sint, quātum fieri potest, optima,et quàm maxime sint imitatio actionis unius. Si igitur et propter hæc omnia præstat,et propter artis etiam opus (oportet enim ipsas non quamlibet efficere voluptatem, sed eam, quæ dicta est) apparet eam, quæ magis finem consequitur, meliorem sine dubio esse Epopęia.

L.

Epilogus Libri de Poetica.

AC de Tragędia quidem, et Epopęia, et ipsis, et formis,et partibus ipsarum,et quot sint,et quid differant,et quæ caussæ sint eius,quod bene est, et quod bene non est,et de reprehensionibus,et solutionibus, tam multa dicta sint.

FINIS.

ANTONII RICCOBONI POETICA,

ARISTOTELIS POETICAM per Paraphrasim explicans,

ET NONNVLLAS LVDOVICI Casteluetrij captiones refellens.

De Natura Poeticæ.

VT Natura Poeticæ explicetur, eius genus, & differentiæ videntur esse inuestigandæ. Ac Poeticæ quidem genus tum ars, tum facultas, tum habitus organicus constitui potest; nempe ars, si minus illa subtili, & singulari artis definitione, vt sit habitus efficiendi aliquid recta cum ratione, at certe vulgari, & vniuersali significatione, vt ars sit, quemadmodum in principio artis Rhetoricæ tradidit Aristoteles, quæ in aliqua re caussam intuetur, quamobrem obtineri finis possit: facultas vero, non quatenus proprie accipitur pro disciplina, quæ ad res contrarias æque se habeat, cuiusmodi esse duas solas, Dialecticam, & Rhetoricam in eodem libro Aristoteles, & cum Aristotele Alexander in Commentario Topicorum scriptum reliquit, sed quatenus vniuerse omnem disciplinam, & hoc modo etiam Poeticam significat: at habitus animi non præcipuus, sed organicus. præcipuos enim animi habitus esse intelligentiam, scien-

 tiam,

tiam, sapientiam, prudentiam, & artem, idem Aristoteles libro sexto docuit Ethicorum: organicos vero, qui alijs seruiunt, tamquàm instrumenta, esse Grammaticam, & Logicam, communis doctissimorum hominum opinio est; & sub ipsa Logica non solum eas partes, quæ necessaria, probabilia, captiosa docent argumenta, verum etiam Rhetoricam, & Poeticam, clarissimi Philosophi, Ammonius, & Auerroes, comprehenderunt. Cum autem de Rhetorica non ambigatur, quæ idcircò pars Logicæ censenda est, quia vsum docet Oratorij Syllogismi, quod enthymema appellatur, & oratoriæ inductionis, cui exemplum nomen est; quomodo Poetica sit pars Logicæ, viri litteratissimi exquisiuerunt. At Bartholomęus quidem Lombardus, doctissimus Poeticæ explicator, eam excogitauit rationem, quòd enthymemate, & exemplo vtatur, quemadmodum etiam Rhetorica; quę ratio si probaretur, quominus omnes artes ad Logicam, tamquàm partes referrentur, cum omnes enthymematis, & exempli vsum habeant, profectò nihil esset impedimento, vt Iacobus Zabarella, Philosophus egregius, rectè mea quidem sententia reprehendit. Altera ratio est Zabarellæ ipsius, quòd vsum exempli non in verbis, sed in factis positi, doceat, cuius aßumptum, vt is scriptum reliquit, à poeta proponitur, non verbis, sed factis; consequens autem ipsi auditores, & spectatores colligunt, quo ad bene agendum trahuntur; quam ego rationem, libere vt dicam, quod sentio, màgis viri indicare ingenium existimo, quàm dubitationem eximere, vt propter huiusmodi argumentationem sic in mente conformatam, & nulla oratione expressam, Poetica inter partes Logicæ numeretur. Tertiam rationem sequor, quòd ad Poeticam ratiocinandi vsum pertineat tradere, non solum in sententia, quam communem habet cum Rhetòrica, cuiusque munus est argumentis probare aliquid, vel refutare: verum etiam in fabula Poeticæ propria, & in ea quidem parte, quæ ipsam fabulam, vt docet Aristoteles, pulcherrimam reddit, id est, in agnitione, quæ fit vel per enthymema, vel per syllogismum, vt apud ipsum Aristotelem exemplis declaratur. Atque hæc de genere dicta sint. Iamuero differentiæ quattuor declarare debent, finem, munus, rem considератam, & modum considerandi. Ac finis quidem, arti Poeticæ, Poesi, & Poetis communis, alius ab alijs constituitur. Nam apud Horatium in epistola ad Pisones tres fines commemorantur, vel sola vtilitas, vel sola delectatio, vel vtilitas cum delectatione coniuncta. sic enim legitur;

Aut prodesse volunt, aut delectare poetę,
Aut simul & iucunda, & idonea dicere vitæ.

Alij

Alij putant finem esse imitationem. Alij fabulam. Primum autem finem Zabarella sic probauit, vt scripserit, scopum naturalem Poeticæ esse vtilitatem, atque adiectam esse delectationem, vt homines ad vtilitatem percipiendam allicerentur; ideoque recte poetam dixisse;

Et prodesse volunt, & delectare poetæ.

Atque id Aristotelis confirmari auctoritate, scribentis, Tragœdiam inducere perturbationum purgationem; idemque de alijs poematibus intelligendum esse. Communis vero opinio alterum finem comprobauit, quem Cicero in oratore ad Brutum, & fere omnes secuti sunt. Tertium recepisse Horatius videtur, cum scripsit;

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.

Quartum tradidit Iulius Cesar Scaliger in Poetica sua. Quinctum nos primi ex Aristotele ipso collegimus. Dubitari tamen de omnibus non parum potest: Primum enim, quod proprium vnius est, per accidens, vt barbari loquuntur, alterius est. Quis autem negauerit, prodesse docendo esse proprium Philosophi, & hoc modo per accidens poetæ? Deinde si in poetarum scriptis sola delectatio spectaretur, merito illi è Rebusp. eijciendi essent, quippe qui ad ipsam delectationem omnia referentes, etiam turpia, & quæ bonis moribus aduersantur, exprimerent. Præterea prodesse, & delectare ita repugnare inter se videntur, vt vnum eijcere alterum existimetur. Etenim qui prodesse docendo cupit, ei res prorsus seria est peragenda, iucundæque fictiones sunt omittendæ: qui vero afferre delectationem, ei omnino ludendum, nullaque docendi ratio habenda. Itaque ex his duabus rebus altera sanè alteram expellit, si modo exacte præstanda sit. Idcircoque nonnullis Plato parum probatur, qui sub delectationis inuolucris, atque integumentis abdidit Philosophiam: at Aristoteles valde placet, qui nihil fingens Philosophiam professus est. Quod attinet ad imitationem, quis non fateatur id non esse finem, quod ad alind refertur? Atqui imitationem ad delectationem referri constat. Quid? quòd si illud vnum poetæ propositum sit, vt fabula conficiatur, nec Nicander, nec Serenus, nec Hieronymus Fracastorius, qui Medicinam versibus complexi sunt, nec Aratus, nec Manilius, nec Ioannes Pontanus, qui Astrologiam, nec Empedocles, nec Lucretius, qui Philosophiam naturalem, nec Hesiodus, nec Virgilius, qui Agriculturam, nec Lucanus, nec Silius Italicus, nec idem Fracastorius, qui historiam, nec alij huiusmodi, qui nullam fabulam conscripserunt, in poetarum numero habendi sint? Hæc quidem afferre aliquam dubitationem queunt: sed nihilominus quinctum finem

probamus ad hunc modum. Nonne qui finis est communiter singularũ poesium, idem esse totius poesis censendus est? At finis communiter singularum poesium sine dubio est fabula: id enim affirmauit Aristoteles de Tragœdia, vbi fabulam ceteris omnibus partibus qualitatis antetulit: idemque intelligi de Epopœia, de Comœdia, de alijs formis poesis sine vlla dubitatione debet. sequitur igitur, vt fabula sit finis totius poesis; qui tametsi interior esse finis videtur, ad alterum finem, nempe ad delectationem, relatus: tamen si ita intelligatur, quemadmodum nos intelligimus, vt consequentem habeat delectationem, perinde atque actio ex virtute consequentem habet iucunditatem, & voluptatem, idemque sit, ac si dicatur fabulosa delectatio; profecto alium finem quærere non debemus. Atque hæc nostra opinio partim conuenit, partim non conuenit cum aliorum opinionibus. primum enim congruit cum prima: quia fabula quoque prodest, quatenus scilicet seruit Politicæ; & ad bonum commune accommodatur, vt è Rebusp. non educatur. Non congruit, quia huiusmodi vtilitatem intelligimus esse per accidens, non, vt ille vir doctißimus affirmat, naturalem. Illud enim dicitur alicui rei naturale, quod eius naturam constituit, aut certe ipsius proprium est; vt homo naturaliter est particeps rationis, & aptus, natusque ad ridendum. At vtilitas Poeticæ cõstituere naturam minime videtur, quæ ab ea abesse potest, vt ab illis aberat poetis, quos expellebat Plato, non quòd boni poetæ non essent (possunt enim esse boni poetæ, etiamsi non prosint) sed quia neruos virtutis eliderent, bonis moribus nocerent, & illi optimo Reip. statui, quem ipse exquirebat, aduersarentur. sic enim scriptum reliquit lib. 3. de Rep. Hæc vtique, & cetera talia, bona Homeri, & reliquorum poetarum venia, abijciamus, non quia poetica non sint, & apud multos auditu iucunda: sed quoniam, quanto magis poetica sunt, tanto minus audienda pueris, atque viris. & lib. 8. scripsit, se poetas Tragicos in Remp. suam non recipere; atque inter ceteros Euripidem, qui tyrannidem, tamquam rem diuinam, laudauerat, & in cœlum extulerat. At scribit Horatius;

Et prodesse volunt, & delectare poetæ.

Prodesse scilicet per se: delectare vero per accidens. Primum non ita legitur: sed per particulam disiunctiuam;

Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ.

Alioquin frustra additum esset;

Aut simul & iucunda, & idonea dicere vitæ.

Deinde prorsus contrarium censendum est, ipsum scilicet prodesse per accidens.

cidens esse: delectare vero per se; & duplicem esse finem poeticæ, vnum naturalem, & insitum, id est, fabulosam delectationem: alterum assumptum, & extrinsecus proficiscentem, nempe vtilitatem, quam poetæ afferre conantur, vt Politicæ pareant, iubenti, vt prosint, & minitanti, si aliter fecerint, se eos expulsuram; quemadmodum etiam in Rhetorica duo sunt fines, vnus naturalis, vt persuadeat, de quo nulla dubitatio est ex doctrina Aristotelis in arte Rhetorica, & lib. 3. Eth. cap. 3. alter assumptus ex Politica, vt ciuitati persuadendo prosit; quem Zabarella Rhetoricę tribuit communiter cum Poetica, scribens; Ad huiusmodi finem cum & ars Poetica, & ars Rhetorica dirigantur, recte dictum videri, eas instrumenta esse, quibus homo ciuilis vtitur ad bonos ciues efficiendos. Egregie mea quidem sententia, si talis finis esse per accidens, alter per se intelligatur. Probat præterea finem Poeticæ esse vtilitatem, ex Tragœdiæ definitione, vbi dicitur, eam inducere perturbationum purgationem; quem finem ne nos quidem negamus; sed esse per accidens existimamus. Etenim Tragœdia per se adducit homines ad misericordiam, & metum, atque ipsa rerum constitutione efficit, vt spectatores ex alterius miseria iniuste exorta molestiam percipientes se bonos agnoscant, & in rebus humanis spem ponendam non esse condiscant; quam esse propriam voluptatem Tragœdiæ intelligemus: sed simul fit, vt frequenti exemplo, & crebra miseriarum ante oculos subiectione spectatores magnanimi, & fortes efficiantur, atque hoc modo adiuuentur. Nam per consuetudinem misericordiæ, & terroris, perpurgant misericordiam, & terrorem, id est, temperant, & moderantur. Itaque non nimis misericordes, & timidi, vt Plato existimabat, ob quam caussam Tragœdias è sua Rep. educebat: sed potius magnanimi, & fortes efficiuntur. Addere enim illam definitionis particulã Aristoteles visus est, non meo quidem indicio, vt huiusmodi purgationem esse finem naturalem Tragœdiæ ostenderet; sed, vt contra Platonis opinionem in fabula Tragica nonnullam posse excogitari vtilitatem commonstraret. Concordat præterea nostra opinio cum secunda, quia fabula simul delectat. Et in eo non concordat, quòd ipsam delectationem non exprimit, sed tacite comprehendit. Si enim pro fine Poeticæ, delectatio simpliciter nominetur, res fortasse communior dicetur, quàm quæ Poeticæ, tamquàm finis proprius, attribui debeat. Nam delectant quoque meretrices, mimi, scurræ, ludi, & alia quamplurima, præter Poeticam, cuius propria delectatio est, quæ à fabula proficiscitur. Neque vero delectationem exprimere, quæ in fabulæ natura comprehenditur, eamque simul consequitur:

sequitur, necesse est. Quemadmodum enim Aristoteles lib. 1. Eth. actioni ex virtute voluptatem ita consequentem esse affirmauit, vt eam in felicitatis definitione commemorare opus non sit: sic in fabula ita inclusa est delectatio, vt exprimenda non sit. Consentit cum tertia, quia, vt separatim notatum est, fabula simul prodest, & delectat. Non consentit, quia auctores eius opinionis utrumque intelligunt per se; nos uero unum per accidens, alterum per se. Consonat cum quarta, quia fabula est imitatio quædam. Non consonat, quia genus imitationis ad eam speciem reducit, quæ fabula est. Differt enim fabula ab imitatione, ut species à genere. Quare qui fabulam nominat, proprium dicit Poeticæ finem: qui uero finem constituit imitationem, communiorem finem ponit, non solum poesi, sed etiam alijs multis congruentem. Quod attinet ad argumenta contraria, primum consecutionem confitemur, ut prodesse docendo sit poetæ per accidens, quod tamen per fabulam fit eius proprium. Deinde fabulosa delectatio intelligenda est cum publica utilitate; & hoc modo cum honestate coniuncta; quem finem qui sequuntur, tantum abest, ut eijciendi sint, ut potius, tamquàm maxime utiles, in summo honore habendi esse uideantur; quemadmodum etiam apud Platonem duo genera poetarum obseruari queunt, alterum eorum, qui neruos uirtutis elidebant, & bonis moribus aduersabantur, ita ut uere digni essent, qui è Rep. ipsius educerentur, ex hominum cœtu eijcerentur, ex humanis finibus exterminarentur: alterum eorum, qui ad Reip. commodum, & dignitatem se accommodabant, quos ipse sapientiæ patres, & duces, deorumque filios, ac interpretes appellabat, quorumque poemata non hominum esse inuenta, sed munera cœlestia existimabat. Præterea inter hæc, prodesse, & delectare, nullam esse repugnantiam putamus, ac utilius, & fructuosius omnem doctrinam tradi adhibita aliqua iucunditate contendimus, ut omnino utile dulci (quod ait Horatius) miscendum esse uideatur. Quartum tollitur contrarium argumentum, si dicatur, imitationem finem quidem esse, sed medium. Quod ipse quoque Iulius Cæsar Scaliger declarauit in hunc modum; Quamobrem tota poesis in imitatione sita fuit. Hic enim finis est medius ad illum ultimum, qui est docendi cum delectatione. & sic; Habes in superiori commentario finem, id est, imitationem, siue vlteriorem finem, doctionem; nam quare non mihi liceat, si Cicero dixit rectionem? Neque vero nobis negocium facessit, quod quincto loco obijciebatur, cum ex Aristotelis doctrina nemo poeta sit, nisi per fabulam, scribat quidquid velit Scaliger. Iam cognito Poeticæ genere, & fine, si ipsa spectetur, quatenus agit, eius

munus

munus esse, existimandum est, versu imitari: si quatenus præcepta tradit, videre ea, quæ ualent ad fabulam conformandam. Res autem considerata, & materia strata sunt actiones humanæ. Modus vero considerandi, qui deducitur à fine, est, quatenus illæ sub fabulam cadunt. Ex quo fonte hauriri definitio potest, vt Poetica sit ars fabularum conficiendarum; vel facultas versibus imitandi: vel habitus organicus videndi in actionibus humanis, quod appositum est ad fabulam conformandam.

I.
DE NATVRA POESIS.

LIBER Aristotelis præcepta Poetica continens, libro 3. Rhet. duobus citatur modis; DE POETICA, DE POESI; vnde nonnulli ingeniosissime excogitarunt, in hac ipsa inscriptione idem esse Poeticam, & Poesim; non Poeticam quidem artem, sed poeticam materiam, quæ sine dubio Poesis est. Qua in re primum obseruamus, in citatione huiusmodi librorum legi apud Aristotelem, quod viderimus, non DE POETICA ARTE, DE RHETORICA ARTE, sed tantummodo DE POETICA, DE RHETORICA, vt materia, non ars, id est, Poesis, & oratio, intelligatur. Deinde aliud esse, cum dicitur, DE ARTE POETICA, aliud, cum ARS POETICA: illud enim significat rationem conficiendæ artis Poeticæ, quæ ratio ad artem pertinet superiorem, vt cognoscatur, qua via, & ratione ars Poetica conscribenda sit: hoc vero denotat præcepta, quæ ad Poesim valent conficiendam. SIC DE ARTE RHETORICA, & ARS RHETORICA. DE ARTE DIALECTICA, & ARS DIALECTICA. similiterque de ceteris. Præterea talem librum esse artem Poeticam; non esse de arte Poetica; esse de Poetica, id est, de Poesi. Postremo huiusmodi colligi differentias ex Aristotelico loquendi more, non ex Latinorum consuetudine, qui eas non obseruarunt. Quinctilianus enim, & Priscianus citarunt epistolam ad Pisones de arte Poetica, & ex recentioribus multi eodem modo locuti sunt. Ac tria quidem Aristotelis opera de re Poetica apud Diogenem Laertium

tium

stium in vita eius commemorantur; vnum diuisum in tres libros, & inscriptum, DE POETIS: alterum in duos cum hac inscriptione, TRADITIO POETICAE ARTIS: tertium, cuius inscriptio erat, POETICA, id est, res Poetica. Cumque apud doctissimos viros exquiratur, quod opus sit illud, quod habemus, vel cuius operis liber, Petrus quidem Victorius, vir nostri ordinis clarissimus, putat esse vnum de tribus primi operis libris; quam opinionem Ludouicus Casteluetrius, ingeniosissimus Aristotelis explicator, reprehendit, quòd illi libri exposuisse magis poetarum vitam, quàm præcepta videantur; idque auctoritate Diogenis in vita Socratis, & Plutarchi in vita Homeri satis clare demonstrat. Franciscus autem Robortellus, vir doctissimus, idemque eloquentissimus, existimat esse vnum de duobus secundi operis; cui idem Casteluetrius illud obijcit, quòd hic ipse liber alterius materiam non respiciat, sed comprehendat, vel locum habeat comprehendendi ea omnia, quæcunque ex Poetica Aristotelis citantur. Alij arbitrantur esse tertium opus; quos etiam refellit Casteluetrius, propterea quòd illa fuisse sine vlla distinctione, atque ordine præcepta videantur; hic vero liber quandam artem, & methodum præ se ferat. Spretis igitur aliorum opinionibus, hoc opus nullum esse illorum trium ipse contendit: sed præcepta quædam cum distinctione, atque ex ordine collecta tamquàm memoriæ conficientia, ex quibus postea Traditio artis Poeticæ conflata sit, ita vt, perfecto opere amisso, imperfecta hæc præcepta ad manus nostras peruenerint. Quam arripere opinionem potissimum videtur, vt reprehendere Aristotelem, & refellere hæc præcepta, tamquàm incohata (quod maximopere profitetur) ipsi licere videatur. Huiusmodi tamen opinio nobis nequaquam probatur, quòd parum verisimile sit, præstantissimum philosophum ita tempus contriuisse, vt primum præcepta memoriæ caussa colligeret, deinde exscriberet, & in artem redigeret, resque easdem sæpius tractaret, etiam si alij fortasse minus præstantes id facere consueuerint, vt Ammonij testimonio comprobari videtur. Itaque secundam sequimur opinionem; nec Casteluetrij obiectioni assentimur. Nam primum hic liber secundi materiam respicit: propositum enim habet Aristoteles agere de Tragœdia, de Epopœia, de Comœdia, vt aperte ipse testatur ad hunc modum; Ac de imitatione quidem, quæ fit hexametro, & de Comœdia posterius dicemus. De Tragœdia vero dicamus. *Cum igitur in hoc primo libro de Tragœdia, & de Epopœia præcepta tradidisset; præceptio de Comœdia, & de ridiculis longior erat, quàm quæ in eodem libro posset commode contineri; integrumq;*

librum, nempe secundum, requirere videbatur. preterea citantur nonnul-la ex Poetica Aristotelis, quæ in hoc libro non sunt, nec commode nostro quidem indicio esse queunt; vt de ridiculis lib. 1. artis Rhetoricæ: & de Purgatione lib. 8. Politicorum. Ac verisimile est libro secundo fuisse de ridiculis tanquam de Comœdiæ subiecta materia pertractatum. Diuiditur autem Aristotelis liber in sex partes, quarum prima est de natura Poesis: altera de origine Poesis: tertia de Tragœdia: quarta de Epopœia: quincta de excusationibus, & reprehensionibus poetarum: sexta de dignitate Tragœdiæ, & Epopœiæ, vt. s. vtra præstatior, ac dignior sit, dignoscatur. Tria tamen sola proponuntur, quibus illa sex comprehenduntur. primum est, De Poetica, & ipsa, & formis ipsius, quam uim habeat unaquæque, *id est, de natura Poesis (significat enim in hoc principio Poetica Poesim) & in genere, & in specie, & de origine ipsius tum in vniuersum, tum secundum partem. perperam autem interpretatur Vincentius Madius, alioquin vir eruditissimus, Quam uim habeat vnaquæque, id est, Poetica, & forma ipsius, cum sine vllo meo dubio tantum significetur, vnaquæque forma, vel species Poesis. Secundũ est,* Quomodo oporteat cõponi fabulas, si habitura sit se recte Poesis: præterea vero ex quot, & qualibus constet partibus. *id est, quomodo oporteat componi fabulam Tragicam, & Epicam, & Comicam, de quibus factam fuisse propositionem, superius notauimus. Illud autem,* Ex quot, & qualibus constet partibus, *quidam referunt ad vocem,* Vnaquæque: *alij sine vlla obseruatione Grammaticæ rationis ad vocem,* Fabulas: *quidam, & melius, ad vocem proximam* Poesis. *Tertium est,* Similiter & de alijs, quæ eiusdem methodi sunt. *id est, de excusationibus, & reprehensionibus poetarum, & de præstantia Tragœdiæ, ac Epopœiæ, & de ridiculis, de quibus coniunctim cum Comœdia tractatum esse, coniecturam fecimus. Agendum igitur est primum de natura Poesis, eiusque genus, & differentiæ sunt perquirendæ.*

Ac communiter quidem scribunt explicatores, ab Aristotele species Poesis enumerari, & argumento ducto à speciebus, vel à partium enumeratione omnem Poesim imitationem esse confirmari in hunc modum; Poesis species sunt, Epopœia, Tragœdia, Comœdia, Dithyrambopoetica (ex qua voce etiam cognoscitur, Poeticam posse significare Poesim) Auletica, Citharistica. Singulæ autem species Poesis sunt imitationes. ergo omnis Poesis est imitatio. Non desunt, qui putant eandem fieri enumerationem apud Ciceronem in libro iniuria temporum imperfecto, de perfectis-

ſimo, vel optimo genere oratorum, vbi quinque poematum genera recenſentur, Epicum, Tragicum, Comicum, Dithyrambicum, Melicum, ita vt poema Melicum ſit idem, quod Auletica, & Cithariſtica. Nonnulli præterea oſtendere conantur, Horatij de poematum generibus non eſſe diuerſam præceptionem, qui cum ſex verſuum genera enumeret, Heroicum, Elegum, Iambicum, Comicum, Tragicum, fidibus accommodatum; dicunt, verſum Heroicum ad Poema Epicum pertinere, de quo ipſe Horatius, ita ſcribit;

Res geſtæ, regumq́ue, ducumq́ue, & triſtia bella,
Quo ſcribi poſſent numero, monſtrauit Homerus.

Et Elegum in Heroico contineri, de quo, idem ſic;

Verſibus impariter iunctis querimonia primum,
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos:
Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant, & adhuc ſub iudice lis eſt.

Et Iambicum præterea referri ad Comœdiam, & Tragœdiam, de quibus ille in hunc modum;

Archilochum proprio rabies armauit iambo.
Hunc ſocci cepere pedem, grandesq́ue cothurni,
Alternis aptum ſermonibus, & populares
Vincentem ſtrepitus, & natum rebus agendis.

Poſtremo ſub verſu fidibus accommodato, intelligi tum Dithyrambicam, tum Auleticam, tum Citharisticam, qua de re Horatius quoque ad hunc modum;

Muſa dedit fidibus diuos, pueroſq́ue deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera vina referre.

Commemorauit igitur Horatius, vt iſti putant, pro Epopœia uerſum Heroicũ, & Elegum: pro Tragœdia, & Comœdia verſum Iambicũ, Comicũ, Tragicum: pro Dithyrambopoetica, & Auletica, & Cithariſtica verſum fidibus accommodatum. Nos vero primum ambigimus, vtrum Ariſtoteles ſpecies Poeſis enumerare voluerit, quod iſti arbitrantur, an potius genus Poeſis indagare per aliquot ſpecies inter ſe differentes, quarum quædam ſint Poeſes, quædam non ſint, omnes tamen in eo conueniant, vt ſint imitationes. Nam, ſi enumerare ſpecies Poeſis voluiſſet, & inter illas etiam Auleticam, & Citharisticam enumeraſſet, cum vitium ſit, in enumeratione vllam partem omittere, profecto imitationem fiſtularum, & imita-

imitationem saltandi, quam vel Poesim isti appellant, non prætermisisset; vel si huiusmodi imitationes omitti posse existimasset, propterea quòd esse similes Auleticæ, & Citharisticæ intelligerentur, vt ipsi interpretantur, certe Poesim Nomorum præterire, quæ paullo infra vna cum Dithyrambopoetica commemoratur, vitiosum fuisset. Accedit, quòd cogitandum nobis est, quomodo Auletica, & Citharistica inter species Poesis enumerari poßint. Nunquam enim huiusmodi imitationes Aristoteles Poeses appellauit, sed tantum artes imitandi, & artes, in quibus faciunt imitationem; ita vt ex artibus imitandi quædam esse Poeses videantur, nempe quæ carminibus vtuntur, vt Epopœia, Tragœdia, Comœdia, Dithyrambopoetica, Poesis Nomorum: quædam non sint Poeses, quæ sine carminibus exercentur, vt Auletica, Citharistica, imitatio fistularum, imitatio saltandi, & alij eiusmodi. Quid? quòd aperte Aristoteles Auleticam à Poesi seiunxit lib. 3. artis Rhetoricæ? ibi enim tria principiorum genera commemorauit, procemium in soluta oratione, prologũ in Poesi, proaulium in Aulesi; vnde satis apparet, Aulesim, vel imitationem Auleticam, non esse Poesim, sed speciem à Poesi seiunctam, cum Poesi prologus, Aulesi proaulium conueniat. Ex verbis autem Aristotelis Auleticam versibus, vel Metrica oratione non vti, luce clarius est, cum ex tribus imitandi instrumentis duo tantum ei tribuantur, numerus saltationis, et harmonia, sine vllo sermone, vt inferius declarabitur; ita vt fallantur illi, qui Auleticam, & Citharisticam eandem esse cum poemate Melico, & cum poemate fidibus accommodato, existimant: huiusmodi enim poema sine carminibus non est: Auletica vero, & Citharistica sine carminibus sunt. Inuento autem Poesis genere, eius differentiæ sunt exquirendæ, quæ tripliciter spectantur, ex instrumento, ex materia, ex modo imitandi. Nam imitationes tribus inter se differunt; aut enim quòd genere diuersis imitantur, idest, diuersis instrumentis, numero, harmonia, oratione: aut quòd diuersa imitantur, id est, triplicem materiam, meliorum, peiorum, similium: aut quòd diuerso, & non eodem modo, qui triplex est, aut exponens, & se immutans, aut exponens, & non se immutans, aut agens.

Cum autem imitandi instrumenta spectentur tria, in ipsa adhibentur imitatione, aut separatim, aut mixta; quemadmodum etiam ab illis, qui multorum effigiem exprimunt, partim per artem, partim per consuetudinem, vsurpantur vel colores separatim, vt à pictoribus: vel figuræ separatim, vt à sculptoribus: vel simul & colores, & figuræ, vt ab ijs, qui pi-

Guram cum sculptura coniungunt. Quidam enim imitantur coloribus, scilicet separatim, & figuris, itidem separatim. Alij vero vtrisque, id est, coloribus, & figuris simul. sequor enim illos, qui legunt. Vtrisque, *non vt antea,* per uocem. *Sic qui imitantur his tribus instrumentis, numero, harmonia, oratione, aut vtuntur ipsis separatim, aut mixtis. Vnde quinque genera oriuntur imitationis. Primum genus simul numero imitatur, & harmonia, vt Auletica, & Citharistica, & imitatio fistularum, ac eiusmodi aliæ. per numerum autem intelligitur is, qui in saltatione adhibebatur. Secundum genus solo numero imitatur sine harmonia; vt Saltatoria, quæ per figuratos numeros mores, perturbationes, actiones exprimebat. Tertium genus solum sermonibus nudis, vel metris imitatur, vt Epopœia. Illud autem,* sermonibus nudis, uel metris *habet triplicem explicationem. prima est,* sermonibus nudis, *id est, soluta oratione,* vel metris, *idest, oratione vincta, qualia sunt carmina poetarum. Ita vt Epopœia aut soluta oratione, aut versibus confici posse videatur. Altera explicatio est Ludouici Casteluetrij, vt Epopœia fiat sermonibus nudis, scilicet sine adminiculo aliorum instrumentorum, harmoniæ, & numeri, id est, metris solis. Dictionem enim Vel, accipit pro Idest. Tertia explicatio est eiusdem Casteluetrij, vt Epopœia fiat sermonibus nudis, id est, versibus humilibus, vel metris, id est, versibus grauibus. probat huiusmodi explicationem duobus locis Aristotelis in lib. 3. artis Rhetoricæ, in quibus nudos sermones significare versus humiles, & metra versus graues putat. verba Aristotelis sunt; Ac in metris quidem & multa hoc faciunt, & conuenit illic facere. plus enim excellunt res, & homines, de quibus habetur oratio: nudis autem orationibus multo paucioribus vti licet; argumentum enim inferius est. quoniam & ibi, si seruus ornate loqueretur, aut valde iuuenis, minus decorum esset, aut si de admodum paruis. et paulo infra; Proprium autem, & domesticum, & translatio prosunt tantum ad elocutionem, nudorum sermonum. Communis tamen explicatorum consensus in his locis per metra elocutionem Poeticam, & scripta poetarum: per nudos vero sermones solutam orationem intelligit. Quod efficit, vt tertiam explicationem non esse sequendam arbitrer. Nec secundam, cum præsertim ipse quoque eam aspernetur Casteluetrius. nihil enim erat, cur Aristoteles nudos appellaret sermones, vt solum instrumentum orationis separatum à numero, & harmonia denotaret, quia dixerat,* Solum sermonibus. *Quamobrem reiecta Casteluetrij nimia subtilitate, quæ sæpe veritatem peruertit, primæ explicationi, quam communis*

opinio approbauit, standum esse existimo, vt Epopœia vel soluta oratione, vel versibus vtatur, quia nonnulli eam etiam sine versibus exercuerunt, plerique vero ipsam versibus complexi sunt. Quæritur autem, an fieri soluta oratione laudabiliter possit, propterea quòd Sophron Syracusanus Xerxis, & Euripidis temporibus viriles, & muliebres Mimos sine carminibus conscripserit, & Xenarchus quoque absque versibus Mimos fecerit, & Socratici sermones in Dialogis Platonis sine metris conscripti sint. Ad quam quæstionem priusquam, quid respondeat Aristoteles, aperiamus, obseruandum est, vt soluta oratio essentiam historiæ non constituit, quippe quæ abesse ab historia potest, & idcirco historia Herodoti versibus comprehensa erit historia quædam, vt aperte testatur Aristoteles: sic ne metrum quidem essentiam Poesis constituere, quippe quod abesse à Poesi posse videatur, & idcirco Poesim Homeri, vel Sophoclis, vel aliorum poetarum soluta oratione expressam, Poësim quandam esse. Tametsi autem carmen in essentia Poesis situm non est: tamen tãquam proprium instrumentum eius non est omittendum, cum præsertim id vsus approbauerit: Cum enim de sermone agitur, vsus attendendus est,

Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi,

Vt præclare scripsit Horatius. Et, vt communis vsus in Poesim carmen recepit: sic ab ea solutam orationem reiecit. Quamobrem, quamuis quidã soluta oratione imitati sint, tamen, vt ita Epopœia fiat, non esse communiter receptum, Aristoteles respondet; & hoc modo id sequendum non esse significat; vt merito Mimi Xenarchi, & Sophronis, ac sermones Socratici à Poesis nomine reijciendi esse videantur. Quid? si communiter receptum esset, vt aliqua Poesis soluta oratione conficeretur, vt nostris temporibus fere omnes Comœdiæ conficiuntur, an id admittendum esset? Id sine dubio colligi à contrario sensu ex verbis Aristotelis videtur: sed melius esse arbitror, vt metrum non prætermittatur, quod esse proprium instrumentum poetarum, cum alijs in locis ipse Aristoteles declarauit, tum vero cũ dictionem poeticam ipsam metrorum compositionem definiuit, & cum Epopœiam per enarrationem in metro imitationem appellauit; quodque valere plurimum ad verisimilitudinem Poesis ex eo perspicitur, quia cũ ipsa vocis postulet elationem, & amplitudinem, vt commode à populo audiri queat, quemadmodum parum verisimile est, vt homines soluta oratione tam elate, & ample inter se colloquantur, vt à spectatoribus intelligantur, nisi illi, qui loquuntur, aut surdi, aut stulti sint, qui vocem extollere necesse habeant; sic ad eam rem maxime accommodatus est versus,

qui cum elatione, & amplitudine vocis, ac dimidio quodam cantu profertur, & submissioni, atque humilitati solutæ orationis oppositus est. Neque vero diuersa fit Epopœia diuersorum versuum ratione, vt siquis per Trimetra, aut Elegos, aut alia carminum genera imitetur; similiterque siquis omnia metra permisceat: sed ratione imitationis. Et appellantur quidem alij Elegorum fictores, alij Epicorum: sed non sunt poetæ, si versibus Medicinam, aut Musicam, aut aliquam aliam artem doceant. Præterea Homerus poeta est appellandus: Empedocles vero Physiologus magis, quàm poeta. & Chęremon non fuit poeta, etiamsi scripserit Centaurum, quod opus erat Rapsędia, id est, opus enarrans, non agens, & quidem Rapsędia permixta ex omnibus metris, quasi Cento, id est, vestis ex varijs panniculis, & diuersis coloribus confecta. Itaque à nomine poetarum omnes reijciuntur, qui nihil imitantur, nullamque fabulam componunt; vt facile sit hac regula metiri Nicandrum, Serenum, Aratum, Maniliũ, Lucretium, Lucanum, Silium Italicum, alios, qui cum fabulam propositam nullam habeant, magis ex communi quadam appellatione, quàm ex rei veritate inter poetas enumerantur, etiamsi optima confecerint carmina. Quartum genus omnibus imitatur instrumentis, nempe numero, cõcentu, & metro in eodem tempore, vt Poesis Dithyrambicorum, & Poesis Nomorum, quæ Poeses in eodem tempore saltationem, harmoniam, & cantum quorundam carminum vsurpabant, quibus illa Bacchum, hæc Leges canebat. Quinctum etiam omnibus instrumentis, sed in diuersis temporibus, vt Tragœdia, & Comœdia, quæ metro solo in actibus fabulæ, & alijs quoque instrumentis in Choricis vtebantur. Iamuero prima Poesis differentia ratione instrumenti perspicitur, vt imitetur metris, aut solis, vt Epopęia, aut cum alijs instrumentis, adhibitis vel in diuersis temporibus, vt Comędia, & Tragędia, vel in eodem tempore, vt Poesis Dithyrambicorum, & Poesis Nomorum.

Quod ad secundam attinet, qui imitantur, sine dubio agentes imitantur: & agentes sunt aut probi, aut improbi: & probi, ac improbi sunt aut meliores, aut peiores, aut similes: ergo omnis imitatio est aut meliorum, aut peiorum, aut similium. probatur à similitudine pictorum huiusmodi materia; quia etiam pictores aut meliores imitantur, id est, pulchriores, vt Polygnotus: aut deteriores, id est, deformiores, vt Pauson; quare scriptum est lib. 8. Politicorum, pueros non Pausonis, sed Polygnoti imagines, & signa intueri debere: aut similes, vt Dionysius. probatur etiam à generibus imitationis ratione instrumenti; quia primum, & secundum ge-

nus

nus res varias imitatur, vt tum Auletica, & Citharistica, tum Saltatoria: & tertium genus idem facit, quippe quod circa sermones, & nuda metra versatur, Epopœia; Homerus enim imitatus est meliores; Cleophon uero similes; at Hegemon Thasius, & Nicocharis peiores, quorum alter Parodias, id est, cantica ad aliorum similitudines modulata conscripsit, quæ fuisse imitationes vilium actionum sermone solum expressas, constat; alter vel Deliada, id est, opus exprimens actiones Deli nymphæ, aut in insula Delo habitas, vel Deiliada (quæ lectio nobis magis placet) id est, poema continens actiones timidorum, ac peiorum: & quartum genus similiter diuersa imitatur, vt Poesis Dithyramborum, & Poesis Nomorum: de quo verba Aristotelis sic interpretor; Similiter vero etiam posset aliquis imitari circa Dithyrambos, & circa Nomos, id est, ita, vt triplicem materiam seruaret, meliorum, peiorum, similium, vt scilicet imitatus est, qui fecit Cyclopes Timotheus, & Philoxenus. Non enim lego Pergas, nec Persas, sed vt quidam correxerunt, Qui fecit: & quinctum genus diuersas quoque personas imitatione exprimit, vt Tragedia meliores, quàm homines nostri temporis; Comedia vero peiores. Secunda igitur differentia Poesis ratione materiæ erit, vt vel meliores, vel peiores, vel similes imitetur.

Sequitur tertia, ratione modi, qui seruatur in imitando triplex, vnus, cum exponens, & se immutans imitatur, vt facit Homerus, qui pauca quędam exponit ex sua persona, & se immutat, cum alios loquentes inducit; qui modus dicitur Enarratio mixta: alter, cum exponens, & se non immutans, quod faciebant Dithyrambici poetæ, & facit Virgilius in Moreto; qui modus est Enarratio pura: tertius, cum quis agentes, & molientes aliquid imitatur, vt poetæ Tragici, & Comici efficiunt, qui nihil ex sua ipsorum persona dicunt, sed personas tantum inter se colloquentes introducunt; qui modus est Drama, id est, actio, & dicitur Dramaticus, id est, agens. Concluditur triplex differentia, quòd imitatio spectatur, tum in quibus imitetur, id est, instrumentis, tum quæ imitetur, id est, quas personas, tum quomodo imitetur, id est, an modo exponente, & se immutante, an modo exponente, & se non immutante, an modo dramatico, & agente. Et Sophocles partim Homeri, partim Aristophanis ostenditur similis; Homeri quidem in materia imitandi, quia ambo meliores imitentur: Aristophanis vero in modo imitandi, quòd uterque imitetur modo Dramatico, vnde etiam Dramata, id est, Actiones Tragicæ, & Comicę appellantur, quia imitentur agentes. Quę uox quoniam Dorica est, ideo Do-

rienses sibi Tragediæ, & Comediæ inuentionem vendicarunt; contra quàm putauit Horatius, à quo Thespis Atheniensis Tragediæ inuentor celebratur ad hunc modum;

Ignotum Tragicæ genus inuenisse Camenæ
Dicitur, & plaustris vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fecibus ora.

Sed Dorienses inter se dissenserunt. Nam Dorienses Megarenses, & qui in Grecia erant, se inuenisse Comediam dixerunt, tamquàm in ipsorum Democratia natam, ubi exerceri facilius potuerit. Dorienses vero Megarenses ex Sicilia illo argumento vsi sunt, quòd Epicharmus poeta Comicus Siculus multo prius fuerit, quam poetæ Athenienses Chonnides, & Magnes. Et Dorienses Peloponnesi coniunctim cum alijs Doriensibus aduersus Athenienses de Tragediæ, & Comediæ inuentione contenderunt; primum quòd Comedia dicta sit, à pagis, per quos Comœdi ex urbe vagabantur, quos ipsi Dorienses appellant Comas, Athenienses vero Demos, ita vt Comedia à voce Dorica, non à voce Attica appellationem habuerit; quasi Comœdi non à κωμάζειν dicti sint, quod est noctu agere, & lasciuis rebus indulgere, sed ab errore illo per pagos ex urbe nominati sint. Deinde quia, cum Tragedia, & Comedia Dramata dicantur, id est, actiones, δρᾶν; id est, agere, vnde dicuntur dramata, est uox Doriensium, non Atheniensium, qui non dicunt δρᾶν, sed πράττειν. Ex his omnibus quæ naturam Poesis explicant, hæc sumi potest definitio, vt Poesis sit imitatio, quæ fit metris aut solis, aut cum saltatione, & harmonia, vel in diuersis temporibus, vel in eodem tempore: personarum aut meliorum, aut peiorum, aut similium: modo imitandi aut exponente, & se immutante, aut exponente, & se non immutante, aut agente. In qua definitione ponitur imitatio loco generis. Dicitur, quæ fit metris *ad differentiam earum imitationum, quæ metrum non habent, vt Saltatoriæ, Auleticæ, Citharisticæ, & aliarum huiusmodi. Dicitur* aut solis, aut cum saltatione, & harmonia, uel in diuersis temporibus, uel in eodem tempore, *quia Epopeia vtitur metris solis sine alijs instrumentis: Tragedia uero, & Comedia non solum metra usurpat, sed etiam saltationem, & harmoniam, in diuersis tamen temporibus: at Poesis Dithyrambicorum, & Poesis Nomorum vtebatur omnibus instrumentis in eodem tempore. Dicitur* personarum, aut meliorum, aut peiorum, aut similium; *quia Tragedia imitatur meliores: Comedia peiores: Epopeia meliores, peiores, & similes. Exprimuntur tres imitandi modi, quia Epopeia habet modum exponentem,*

ponentem, & se immutantem: Dithyrambica habebat modum exponentem, & se non immutantem: Tragœdia, & Comœdia habent modum agentem. Atque hæc de Poesis natura sint satis.

II.
DE ORIGINE POESIS.

DVAE sunt caussæ Poesis, vna quidem diuina, altera vero humana. Rursus humana duplex, altera naturalis, altera artificiosa. Ac caussa quidem diuina furor diuinus vocatur, qui apud Platonem est mentis alienatio à Deo proficiscens. Si enim ab humanis morbis proficiscatur, est furor humanus, vel insania, vel insanitas animi, vel amentia, vel dementia: si vero a Deo originem habeat, est furor diuinus. ille hominem infra humanitatem deijcit, & ex homine quasi belluam reddit: hic hominem supra humanitatem extollit, & ex homine prope deum efficit; quique Poetis auxiliatur, non à Dionysio oritur, vt mysticus, nec ab Apolline, vt propheticus, nec à Venere, vt amatorius, sed à Musis, & Poeticus nuncupatur; ac non solum Poetis, sed etiam Poetarum interpretibus, & interpretum auditoribus à Platone tribuitur, vt diuinum numen diuino furore concitet poetas, poetæ interpretes suos afflent, interpretes auditores suos inspirent, & primus motus à diuino numine, alter à poetis, tertius ab interpretibus exoriatur. Ac primi quidem furoris diuini apud diuinum philosophum exemplum est Tynnicus ille Chalcidēsis, qui, cum antea minime probaretur, tandem Musarum spiritum accepit, atque ita probatus est, vt carmen, quod ipse cecinit in Apollinem, nemo cantare postea recusauerit. Alterius exemplum est Ion, qui, cum reliquos poetas non intelligeret, Homeri Poesim diuinitus interpretabatur. Tertij exemplum sunt adolescentes, qui sic affici ab interpretibus consueuerunt, vt eodem ipsi quoque agitari spiritu videantur. Furorem autem poeticum nullum esse, conatur ostendere Ludouicus Castelnetrius, nec apud Platonem, quamuis ab eo tantopere celebratum, nec apud Aristotelem, qui eum agnouisse ipsi non videtur; multisque argumentis vtitur, quæ qua-

lia sint, operæ precium est perpendere, primum, quòd Plato eum probasse per iocum videatur, quippe qui poetas è sua eduxerit Rep. eos alioquin retenturus, & culturus, si sanctos, vt suo iure appellauit Ennius, & diuino quodam spiritu afflatos existimasset. Deinde quia Aristoteles caussas Poesi naturales attribuerit, imitationem, & harmoniam, nullamque furoris diuini fecerit mentionem. præterea quia idem scripserit, Homerũ in fabula vna efficienda excelluisse, aut propter artem, aut propter naturam, nullamque talis excellentiæ partem furori diuino tribuerit. Postea quia, vbi egit de perturbationibus, affirmauerit; ingeniosi poeticam esse, non furore perciti. corrigit enim verba Aristotelis, & cũ communiter legatur; Ingeniosi poetica est, aut furore perciti, *ipse legit;* Ingeniosi poetica est, nõ furore perciti. *Additur à nonnullis, nusquam esse istas Musas, à quibus hic furor poeticus proficiscatur. Nam peragrantibus Phocidem, vbi est Parnasus, perlustrantibus Bœotiam, vbi Helico, permeantibus Atticam, vbi Cythæron, peruadentibus loca omnia, vbi Musæ habere domicilium dicuntur, nusquam istas Musas apparere. Quæ argumenta vt refellamus, dicimus primo loco, non simpliciter Platonem omnes poetas eiecisse, sed eos tantum, qui illi optimo Reip. statuĩ, quem ipse conformabat, aduersarentur, vt hæc poetarum eiectio eum lusisse de furore poetico minime probet, quem in illis poetis admiratus est, quos ad vtilitatem Reip. se accommodantes sapientiæ patres, ac deorum interpretes appellauit. Secundo, cum Aristoteles tradiderit, Poesis esse caussas naturales, non idcirco eum caussam diuinam, & furorem poeticum exclusisse. Tertio, si laudauit Homeri artem, vel naturam, non ob id eum impulsionem diuinam ignorasse, quæ vel in optima natura ad diuinum numen recipiendum accommodata potest considerari, eaque de caussa, vbi de Epopœia pertractat, diuinum Homerum nominasse. Quarto eundem dixisse, Poeticam esse ingeniosi, vel furore perciti; nec esse illa verba deprauanda, vt sine dubio deprauat Casteluetrius; nam etiam lib. 3. artis Rhetoricæ, vbi eandem tractauit perturbationum materiam in decora elocutione, ipsum sic scriptum reliquisse; Diuina res est Poesis; vt in eodem Poeticæ loco, pro uoce* ἐξεταστικοί, *id est, idonei ad inquirendum, legendum sit, vt quidam correxerunt,* ἐκστατικοί, *id est, extra se positi, & alij quidem dicantur esse bene à natura formati, qui scilicet ingeniosi sunt: alij vero extra se positi, qui furore diuino perciti sint. Postremo Musas esse in cęlo, nihilque aliud significare, nisi mentes globorum cęlestium; ita vt Calliope sit consensus omnium cęlestium mentium: Vrania mens globi stelliferi: Polymnia*

nia Saturni: Terpsichore Iouis: Clio Martis: Melpomene Solis: Erato Veneris: Euterpe Mercurij: Thalia Lunæ; quarum alias sibi propitias alij agnouerunt, vt Calliopen Orpheus, Vraniam Musæus, Polymniam Pindarus, Terpsichoren Hesiodus, Clionem Homerus, Melpomenen Thamyras, Eratonem Sappho, Euterpen Ouidius, Thaliam Virgilius. Hactenus de caussa diuina Poesis.

Caussa humana duplex est, vna naturalis, altera artificiosa. Naturalis rursus est duplex, imitatio, & harmonia. Artificiosa caussa est ars ipsa Poetica. Probat Aristoteles imitationem esse naturalem quattuor argumentis. primum quia imitari insitum hominibus à pueris est. Deinde quia homo est animal maxime accommodatum ad imitandum. Tum quia primum discunt homines per imitationem. postremo quia ex imitatione omnes delectationem percipiunt, vt etiam rebus molestis imitatione expressis gaudeant. Idcirco autem gaudent imaginum inspectione, quòd discant (id quod non solum philosophis, sed etiam alijs iucūdissimum est) & agnoscant id, quod prius viderint. Nam si ante non viderint, artificio, aut colore, aut tali aliqua re delectantur. Non probat harmoniam esse naturalem, quòd putet id manifestum esse, vel ab alijs satis probatum; quæ sine dubio data est hominibus à natura ad humanæ vitæ labores tolerandos. Etenim homo recens natus, cum in cunabulis vagire incipit, continuo nutriculæ cantitantis voce sopiri consueuit. Infantes autem statim plorant cum alijs de caussis, tum vero etiam, quòd crurum, brachiorumque recte producendorum caussa fascijs colligantur, ita vt in illis angustijs tunc maxime aliqua indigere harmonia videantur. In omnibus vero operibus modulatio aliqua, quantumuis rudis, hominum consolatur fatigationem. vnde illud poetæ;

Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras.

Sic cantus remigem recreat; arator, auriga, mulio, sibilo reficitur. Quid? quòd harmonia multum quoque valet ad quadrupedes belluas recreandas? Assiduo enim vsu compertum est, mulos tintinnabulorum sonitu valde oblectari. Quapropter muliones tintinnabula ad illorum suspendere colla consueuerunt, quò facilius sarcinarum perferre labores queant. Equi vero in bello tubarum clangore arrecti stare loco nesciunt, ac iamiam in certamen ruere ardent. In auibus præterea cernitur harmonia: maximus enim est auium concentus, quo omnis suo tempore ager resonat; lusciniaque inter ceteras aues varios habet canendi modos, & edit sonum perfecta scientia modulatum, ac paruulis in faucibus concinit, quæ tot exqui-

fitis tibiarum tormentis, vt ait Plinius, ars excogitauit. Saxa denique ipsa, vt inquit Cicero, & montes voce respondent. Quid? quòd Pythagoras harmoniam in omnibus rebus tum cęlestibus, tum terrenis à Deo opt. max. collocatam esse affirmauit? Quod ad caussam attinet artificiosam, quæritur, quid plus valeat in poeta, ars'ne, an natura. Qua de re tres sunt doctissimorum hominum opiniones. Horatius enim censet vnam sine altera nihil valere. Quamobrem sic scribit;

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est, ego nec studium sine diuite vena;
Nec rude quid possit video ingenium; alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice.

Horatium sequitur Quintilianus, agens de natura, & arte oratoris. Cicero vero in oratione pro Archia plus valere naturam sine arte, quàm artem sine natura dicit; idemque Isocrates contra sophistas affirmat. Alij autem existimant plus valere artem, quàm naturam, quòd perfectior ars in homine inueniri, quàm perfectior queat natura. Neque enim in vllo homine reperire possumus tam perfectam naturam, vt omnia bona habeat naturalia, quæ non uni homini, sed multis conceduntur. At in aliquo licet tam perfectam artem inuenire, vt omnia præcepta complectatur. Quam questionem nos declaramus, triplicem habentes rationem. Nam si spectetur id, quod absolute perfectum est, profecto nihil valet vna sine altera, quod perfectum sit. Si cernatur id, quod minus indiget altero, plus valet natura, quàm ars, quia natura minus indiget arte, quàm ars natura. Si inspiciatur id, quod in homine potest esse perfectius, plus valet ars, quàm natura. Iamuero à principio qui natura apti erant ad imitationem, & harmoniam, paullatim promouentes genuerunt Poesim ex ijs, quæ subito dicebantur: & postea obseruata est caussa, quamobrem Poesis finem suum consequeretur. Itaque poetica est.

Et nata sunt duo genera Poesis, vnum eorum, qui grandiores erant, & honestas imitabantur actiones, ac huiusmodi hominum: alterum eorum, qui humiliores habebantur, & turpes, ac malorum hominum actiones describebant. illi primum hymnos, & encomia conscripserunt, quibus postea successit Epopœia, inde Tragœdia, vt inferius apparebit: hi primum vituperationes, quibus successisse iambicum carmen, & Comœdiam, paullo post traditur. Ac in genere quidem humili, veterum poetarum, qui ante Homerum fuerunt, vt Oribantij, Daretis, Melisandri, quorum meminit Aelianus, nullum extat poema; cum tamen multa talia fuisse verisimile

sit. ipse uero Homerus Margitem scripsit, id est, actiones illius hominis stultissimi, cuius meminit Plato in Alcibiade, citans auctoritatem Homeri dicentis, Margitem multa quidem sciuisse, sed omnia male, id est, in suam perniciem; & meminit quoque Aristoteles lib. 6. Eth. distinguens sapientem ab eo, qui quodammodo est sapiens. in quo poemate Homerus versus hexametros vsurpauit interiectis versibus iambicis, vt testatur Victorinus, & Zetzes, quod alij quoque notarunt; vt falli videantur illi, qui versus iambici inuentionem Archilocho tribuunt, de quo ita Horatius;

Archilochum proprio rabies armauit iambo.

Fuit enim Homerus ante Romam conditam, & Archilochus regnante Romulo, vt testatur Cicero in præfatione primæ Tusculanæ. vel fuit etiam Archilochus regnante Tullo Hostilio, vt scripsit Cornelius Nepos. Huiusmodi igitur poematum generi, quale fuit poema Homeri inscriptum Margites, successit iambicum metrum, ita dictum, ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν, id est, à conuiciando, quia in eo poetæ conuicia exercerent, ita vt alij essent heroicorum, alij iamborum poetæ, in quo sine dubio excelluit Archilochus; quem versibus suis Lycamben, & eius filiam sibi prius desponsatam, ac postea denegatam ad laqueum compulisse, notissimum est; quem maledicenti Lucianus in Pseudologista respondisse scribit, hominem corripuisse cicadam ala, innuens se cicadam esse, qui lacessitus silere non posset; qui à Lacedęmonijs expulsus est, vel, vt ait Strabo, quòd maledicis scriptis multos insectatus esset, vel, vt testatur Valerius, ne iuuentutem ad maledicentiam inuitaret, vel, vt affirmat Plutarchus, quia melius esse scripsisset clypeum abijcere, quàm mori; quem Critias lepide accusauit, vt hominem ineptum. qui de se ipso multa probra dixisset, quæ aliter nesciremus. Nam quòd seruæ filius fuerit, quòd patriam ob paupertatem relinquens in Thasum venerit, quòd ibi inimicus sit habitus, quòd sine discrimine amicos, inimicosque momorderit, quòd mœchus, libidinosus, contumeliosus fuerit, quòd scutum abiecerit, profectò ignoraremus, nisi ex ipso cognouissemus, vt Aelianus testatum reliquit. Atque in hoc humili genere Poesis Homerus Comœdiæ figuras primus commonstrauit, non vituperationem, sed ridiculum dramate complectens. Nam Margites proportionem habet ad Comœdias, vt Ilias, & Odyssea ad Tragędias. Itaque dedit formam Comœdiæ per Margitem, non quemadmodum scribit Donatus, per Odysseam, quam vnam cum Iliade proportionem habere ad Tragœdias, ex Aristotele luce clarius apparet. In genere igitur hu-

-mili per Margitem exemplum dedit pulcherrimum Comœdiæ veteri, in qua nominabantur ij, in quos maledicta conijciebantur, vt in Pluto Aristophanis Patrocles ille, qui tota vita nunquàm lotus est, & in Nephelis Socrates, qui de rebus minimis apud Auditores suos disputabat. Et huiusmodi generi multa adiumenta subministrauit; non secus ac in genere graui fuit maxime poeta: solus enim fuit, inquit Aristoteles, non solum quia bene, sed etiam quia imitationes dramatice fecit, à quo tanquàm à poeta omnium præstantissimo, & summo, exemplum Poesis sumendum est; qui quoniam supremum inter poetas locum obtinuit; idcirco qui in vnoquoque genere summus est, per translationē Homerus appellari potest, quemadmodum Panætius Platonem suum non solum sapientissimum, & sanctissimum, sed etiam Homerum philosophorum appellauit. quod legitur apud Ciceronem in prima Tusculana. Tanto autem in honore, ac veneratione fuit, vt Ptolomæus Philopater templum ei erexerit, eiusque simulachrum inter septem vrbes fixerit, quæ de ipsius origine contenderunt. parum vero decore Galatho pictor, vt eius præstantiam ostenderet, ipsum euomentem pinxit, aliosque poetas ea, quæ ipse euomuisset, haurientes, vt scriptum reliquit Aelianus. Melius fecisse Dionysius videtur in libro de compositione, qui eum verticem appellauit, ex quo flumina omnia, & fontes, atque vniuersum poetarum mare emanaret. quod Ouidius sic expressit;

Aspice Mæoniden, à quo ceu fonte perenni
Vatum pierijs ora rigantur aquis.

Ac obseruatione dignum est, quod legitur apud Plutarchum de Alcibiade; qui doctorem quendam, Homeri opera se non habere affirmantem, pugno percussit, indignum ratus, vt aliquis se litteratum esse profiteretur, qui Homerum non haberet, eiusque studiosus non esset. Ac quemadmodum quidem Iambicis successerunt Comici in humili genere Poesis: sic in graui Epicis, qui hymnorum, & encomiorum scriptores, ac Lyricos consecuti sunt, successisse Tragici dicuntur. Cum enim apparuisset Tragœdia, & Comœdia, qui ad vtranque Poesim ferebantur secundum propriam naturam, partim quidem pro Iambicis Comici facti sunt: partim vero pro Epicis Tragici: quia maiores, & honoratiores figuræ essent hæ, quàm illæ, id est, Tragœdia, quàm Epopœia; & Comœdia, quàm Iambicum carmen. Intelligimus enim maiores, id est, magnificentiores, & maioris existimationis, non quantitatis, & longitudinis. Casteluetrius, qui nouis interpretationibus oblectatur, eam refert rationem ad eos tantum, qui pro Epi-

eis Tragici facti sunt, vt intelligatur eos pro Epicis Tragicos factos esse, non Comicos, suam ipsorum naturam secutos, quia figuræ Epopœiæ, & Tragœdiæ essent maiores figuris Iambici carminis, & Comœdiæ, atque ac commodatiores ad naturam illorum, qui ad Epopœiam ferebantur. Quam explicationem, quicunque velit, sequatur. Nos priori stabimus. Iam cum duo genera Poesis, vnum graue, alterum humile, quam originem habuerint, explicatum sit, videndum est, quomodo duæ præcipuæ Poeses auctæ sint, Tragœdia, & Comœdia. Sed principium Aristotelicæ traditionis habet duplicem lectionem, & sensum. Communis lectio est, γενομένης αὐτοσχεδιαστικῆς. Madius legendum censet in recto casu γενομένη αὐτοσχεδιαστική. Quam lectionem, & Casteluetrius, & nos secuti sumus conuertentes sic; Nata igitur est à principio ex tempore & ipsa, & Comœdia. Alij de vetere lectione nihil immutant, & sic interpretantur. Nata igitur à principio Autoschediastica; id est, facultate illa, quæ ab initio rude aliquid pangebat, & ipsa scilicet Tragœdia, & Comœdia, vt inferius dicitur, aucta est. Volunt igitur illam facultatem significari, à qua deinde genita est Poesis, vt antea dictum est eo in loco; A principio qui natura apti erant ad hæc ipsa maxime, paullatim promouentes genuerunt Poesim ex ijs, quæ subito dicebantur. Quam nouam explicationem non esse negligendam arbitramur. Ac Tragœdia quidem aucta est tum à Dithyrãbicis, tum ab Aeschylo, tum à Sophocle, tum ab incertis quibusdam auctoribus. Dithyrambici enim saltationem, harmoniam, & quædam carminum, ac verborum genera ei subministrarunt; perinde ac Phallici, lasciui poetæ, saltationem, harmoniam, & quædam carmina, ac verba ad excitandum risum maxime accommodata Comœdiæ præbuerunt. Quod attinet ad Aeschylum, & Sophoclem, citatur ab explicatoribus locus Diogenis Laertij in vita Platonis, quem ad intelligenda verba Aristotelis maxime pertinentem nos quoque considerabimus. Scribit enim ille in hãc sententiam; Quemadmodum olim Tragediã prius quidem chorus solus agebat; postmodum vero Thespis vnum inuenit histrionem, vt chorus interdum requiesceret; secundum postea Aeschylus adiecit; & tertiũ Sophocles; atque in hunc modum Tragœdia consummata est: ita & philosophiæ ratio dudum circa vnam tantũ Physicę speciem vertebatur; accessit Socrates, & adiecit Ethicam; tertiam Plato Dialecticam addidit, & consummato philosophiæ operi extremam manum apposuit. Hęc ille. per chorum intelligunt multitudinem interlocutorum, ut cum paullo infra etiam nominatur chorus Comędorum primum igitur chorus solus, id

est soli interlocutores agebant Tragędiam sine saltatione, cantu, & sono. postmodum uerò Thespis vnum inuenit histrionem, id est, vnam speciem histrionum, vt etiam infra Diogenes nominat vnam physica speciem, & intelligit alteram speciem fuisse Ethicam, tertiam Dialecticam. Iam illa species histrionum, quam inuenit Thespis, simul saltabat, canebat, & sonabat. Secundum postea histrionem Aeschylus adiecit, id est, secundam speciem histrionum, ita vt vna species, & multitudo caneret, & sonaret, altera vero saltaret. Tertium histrionem Sophocles adiunxit, id est, tertiam speciem histrionum, ita vt vna multitudo caneret, altera sonaret, tertia saltaret. Iam ad Aristotelem veniamus, qui ait Aeschylum in Tragœdiam tria incrementa intulisse, nempe produxisse multitudinem histrionum ex uno ad duos, id est, ex vna specie ad duas: minuisse partes chori, vt non nisi ad distinguendos quinque actus introduceretur: instituisse orationem primarum partium, vt maiora præmia agentibus primas partes proponerentur. Sophoclem vero duorum in Tragędia incrementorum auctorem fuisse, vt tres essent histriones, id est, tres species histrionũ: vtque scenæ ornamentum adderetur, & prospectus pingeretur. Incertos autem quosdam auctores alia quædam instituisse; vt ab humilitate materiæ, & sermonis ad grauitatem extolleretur: vt relicto Tetrametro uersu Iambicum reciperet, sermoni maxime accommodatum, quod ex eo cognoscitur, quia plurimi Iambici versus in quotidiana collocutione proferuntur, & paucissimi hexametri: vt multitudines episodiorum, id est, earum rerum, quæ ad augendam fabulam in Poesi inseruntur, ordinarentur.

Comędia vero, vt superius dicebatur, ubi de materia Poesis agebatur, imitatio peiorum definitur. Sic enim à Tragędia segregabatur Comędia, quòd illa meliores, hæc peiores imitaretur. Ac intelligitur quidem huiusmodi imitatio, quæ saltatione, harmonia, & metro in diuersis temporibus vtatur, vt differat à Poesi Dithyrambicorum, & Poesi Nomorum, quę in eodem tempore illa tria instrumenta vsurpabant. prętetea intelligitur imitatio, quæ fiat modo agente, vt differat ab Epopœia, quæ est enarratio. Traditur intelligendos esse peiores in Comœdia, non ex omni uitio, sed ex eo vitij genere, quod ridiculum appellatur. Ac traditur ridiculi definitio, vt sit erratum quoddam, & turpitudo sine dolore, & non habeat vim interimendi, vt statim ridicula facies, turpisque ac distorta sine dolore, qualis fuit facies Thersitis, de quo Homerus lib. 2. Iliadis. Cumq; de corpore deformi exemplum afferatur, intelligendum est etiam turpi-

tudo

tudo animi, qualis fuit Margitis, de quo superius; & rerum extrinsecus positarum, quæ omnes turpitudines debent esse sine dolore, & non habentes vim interimendi, vt moueant risum, & non misericordiam. Cum autem pleraque Tragœdiæ incrementa à quibus facta sint, constet, Comœdiæ mutationes eodem modo obseruatæ non sunt, quia in ipsa à principio positum studium non est. Etenim sero magistratus dedit chorum Comœdorum, id est multitudinem interlocutorum comicorum. hic enim chorus non significat eam multitudinem, quæ populi repræsentat vniuersitatem, sed omnes interlocutores Comœdiæ sero concessos à magistratu. præterea mira fuit paucitas eorum poetarum, qui ipsam Comœdiam pertractarēt, vt ob id huiusmodi Poesis primis temporibus magno in honore non fuerit. Quamobrem, quis Comœdiæ tribuerit personas, ignoratur, non peiores in eo vitij genere, quod mouet risum, quarum fuit inuentor, qui fabulam comicam inuenisse paullo post dicitur, nec quæ in choro saltantes, sonantes, canentes adhibebantur, cuiusmodi personæ paullo post per multitudinem histrionum intelliguntur, sed vel laruas, vt intelligit Bartholomæus Lombardus, quarum inuentio Aeschylo tribuitur in Tragœdijs, vel personas distinctas ex diuersitate vestimentorum, vt intelligendum esse Castelnetrius arbitratur: præterea ignoratur, quis inuenerit Comœdiæ Prologos, non eos, qui coniuncti fuiit, cum præcipua actione, qualis intelligitur primus actus fabulæ (nam qui fabulam inuenit, etiam huiusmodi prologos inuenisse existimandus est) sed eos, qui à præcipua actione separati sunt, etiam si eorum apud auctores Græcos exemplum non habeamus, sed tantum apud latinos, vt apud Plautum, & Terētium, quos aliquo Græcorum exemplo ductos fuisse, probabile est. Postremo ignoratur, quis primus adhibuerit multitudines histrionum, nempe eorum, qui in choro partim canebant, partim sonabant, partim saltabant, quorum auctores in Tragœdijs fuisse Aeschylum, & Sophoclem, traditum est. Iam cum hæc, quæ notata sunt, & huiusmodi alia de inuentione rerum Comicarum ignorentur, fabulæ certe Comicæ inuentor non ignoratur. Eam enim facere Epicharmus, & Phormis poetæ Siculi, cœperunt. Atque inter Athenienses Crates primus, abiecta Iambica forma, in materia Comica in vniuersum cœpit facere sermones, vel fabulas. Bartholomæus Lombardus explicat, dixisse Aristotelem in vniuersum, quod opponitur singulari, vt distingueret Comœdiam ab Iambica Poesi, quæ magis singulare pertractat: dixisse sermones, vel fabulas, vt idem significaret, perinde ac si dixisset, sermones, vel, vt clarius res exprimatur, fabulas. Castel-

D uetrius

uetrius duobus modis interpretatur, tum recipiens Lombardi explicationem, vt vel *accipiatur pro* idest: *tum propriam afferens interpretationem, vt Crates scripserit sermones in vniuersum ad differentiam eorum poetarum, qui Iambis vtentes singulare sectantur, & fecerit etiam fabulas. Iulius Cęsar Scaliger, scribens Cratetem primum Athenis dempto metro Comœdiam in soluta ostendisse ōratione, visus est hunc locum sic intelligere, sermones scilicet Comicos in soluta oratione, vel fabulas, scilicet Comicas etiam sine metro conscriptas; qui si nullam aliam habet auctoritatem, qua sententiam suam probet, merito à Casteluetrio nostra quidem sententia reprehensus est. Non enim solum soluta oratio, sed etiam metrum sermo appellatur. Nos primam sequimur explicationem. Atque hæc satis sint de origine Poesis.*

III.

DE CONVENIENTIA, ET differentia inter Tragœdiam, & Epopœiam.

Epopæia, & Tragędia inter se duabus conueniunt rebus tum sermone, id est, ipsa metrorum compositione, vt infra dictio Poetica definitur, tum bonorum imitatione, etiamsi Epopæia non solum meliores, vt Tragœdia, sed etiam peiores, & similes imitetur. Differunt vero tribus, primum quòd illa simplex metrum adhibeat, quod superius nudum metrum appellatum est: hæc vero etiam saltationem, & harmoniam, quamuis in diuersis temporibus, vt supra declaratum est. Deinde quia illa sit enarratio; hæc agente imitandi modo vtatur. postremo quia illa sit tempore indefinita: hæc res gestas vnico Solis ambitu, vel paullo longiore spatio exprimere videatur. Nam, tametsi ipsa Epopæia continere actionem definitam debet, habentem principium, medium, & finem, vt inferius apparebit: tamen dicitur tempore indefinita, id est, amplam admodum magni-

tudinem

tudinem habens, præsertim vero, si cum Tragœdia, & Comœdia vno solis ambitu comprehensis, vel paullisper uariantibus conferatur. Cum autem Epopœia narratione vtatur, & res narret multorum gestas annorum spatio, vt Aeneis septem, Odyssea viginti, vt verisimilitudinem habeat, non vna continuatione sermonis, sed multis fieri vicissitudinibus debet, vnde factam esse Epopœiæ ipsius in multos libros diuisionem Casteluetrius ingeniose obseruat, merito miratus eos, qui non Homerum, sed Aristarchum primum diuisisse Iliadem, & Odysseam in multos libros affirmarũt, quasi verisimile sit, poetam ipsum tam longas narrationes sine vlla librorum distinctione continuare voluisse. At, quoniam sermonem vnius diei vno libro cõprehendendũ esse existimat, idcirco illud apud Homerum reprehendit, quod sermo ab Vlysse vno die habitus apud Alcinoũ Phæacũ Regem non ab Homero, quẽ reprehendere non audet, sed omissa Homeri diuisione ab Aristarcho in quattuor Odysseæ libros diuisus sit, nonũ, decimũ, vndecimũ, & duodecimũ, cũ Vlysses narrare fingitur, primum se pugnasse cum Ciconibus, appulisse ad Lotophagos, excæcasse Cyclopẽ Polyphemũ: deinde venisse ad Aeolũ, ad Lestrygonas, ad Circẽ: inde descendisse ad inferos mandato Circes: postea, præternauigasse Sirenes, & errãtes Petras, Scyllam, & Charybdim, ac quemadmodum ipsius socij, qui Solis occiderant boues, interierint. & illud apud Virgilium, quòd narratio Aeneæ habita vna continuatione sermonis apud Didonem de bello Troiano, & de itinere suo, in duos diuisa sit libros, secundum, & tertium Aeneidos. & illud apud Platonem, quòd sermonis habiti vno die de legibus in duodecim libros diuisio facta sit, vt errauerit Plato non solum, quia id, quod diuidi non debebat, diuiserit, verum etiam, quia nimiam rerum multitudinem vno sermone comprehenderit. Ad quas Casteluetrij obiectiones cum facilis, & expedita sit responsio, ab eo, vel eius sectatoribus quærimus, vndẽ nam illud dogma ortum sit, sermonem vno die habitum in vnum librum esse includendum; atque si aliunde ortum non est, quàm à propria eius opiniosissima opinione, rogamus eos, vt nos ab ipso dissentire patiantur, & putare, quod verissimum esse arbitramur, quatenus in aliquo sermone propter rerum varietatem variæ cessationes, intermissiones, & pausæ fiunt, eatenus eum diuidi in varios libros posse. præcipit præterea Aristoteles, partes quasdam easdem esse Tragœdiæ, & Epopœiæ, vt fabulam, sententiam, mores, dictionem: quasdam vero esse proprias Tragœdiæ, ut Apparatum, & Melodiam. Quare quicunque cognitionem habuerit Tragœdiæ bonæ, & malæ, eum habiturum etiam Epicorum. Quæ enim Epopœia

habet, ea inesse in Tragœdia: quæ vero ipsa Tragœdia habet, ea non omnino inesse in Epopœia. perpendit Castelvetrius id, quod ait Aristoteles. Quæ Epopœia habet, ea inesse in Tragœdia; idque tam falsum esse, quàm quod falsissimum, demonstrat, propterea quòd septem in Epopœia insint, quæ non habet Tragœdia; quorum primum est metrum solum sine saltatione, & harmonia: secundum est metrum hexametrum, non Iambicum: tertia licentia linguarum: quarta longitudo fabulæ: quintus modus imitandi per enarrationem: sexta imitatio etiam peiorum: septima imitatio etiam similium. vnde illam colligit consecutionem, aut Aristotelem immemorem fuisse, qui Tragœdiæ, & Epopœiæ differentias oblitus esset: aut nullum in illis septem rebus momentum posuisse, qui tamen eas alibi magnifecerit: aut talem sententiam expressisse ita generalem, nihil excipientem, non quòd veram arbitraretur, sed ut postea melius cogitatam in Traditione artis Poeticæ moderaretur; quarum rerum nec primam, nec alteram approbare audet, sed tertiam recipit tamquam illi suæ opinioni maxime accommodatam, quam supra exposuimus, contineri hoc libro non artem Poeticam, sed præcepta quædam memoriæ caussa collecta, ex quibus postea Traditio artis Poeticæ composita sit. Quæ opinio cur nobis non probetur, supra exposuimus: & ad hanc audacissimam huius præcepti reprehensionem respondemus, non agere Aristotelem de omnibus, quæcunque in Epopœia, & Tragœdia spectari queunt, sed tantum de partibus qualitatis, de quibus uerissimum est illud præceptum, Quas partes Epopœia habet, eas inesse in Tragœdia: Quod etiam ipse alibi tradidit, Epopœiam scilicet habere partes extra Melopœiam, & Apparatum easdem, quas habet Tragœdia. & Tragœdiam habere omnia, quæ habet Epopœia, id est, omnes partes qualitatis, quæ insunt in Epopœia. Tametsi igitur in illis septem rebus Epopœia, & Tragœdia inter se differunt, tamen si partes qualitatis spectemus, vt sine dubio spectauit Aristoteles, illud est tam uerum, quàm quod verissimum, Quæ Epopœia habet, ea inesse in Tragœdia; dicat, quidquid velit Castelvetrius, qui si rem melius perpendisset, profecto Aristotelem non reprehendisset. Iam proponitur peragendum de imitatione, quæ fit hexametro, & de Comœdia posterius: de Tragœdia uero prius; quæ huius operis maxime propria est propositio. illa enim, quæ in principio legitur, communior est. profitetur autem Aristoteles se definitionem Tragœdiæ ex ijs, quæ dicta sunt, assumpturum, vnde patere ipsius potest natura.

IIII. IN DEFINITIONEM Tragœdiæ.

Supra traditum est, Tragœdiæ Poesim esse imitationem: Tragœdiam versari in graui genere Poesis, in quo actiones honestæ exprimuntur: quemadmodum Epopeia successit hymnis, & encomijs, sic Tragędiam successisse Epopœiæ, vt, quemadmodum hæc perfectam continet actionem, ita etiam illa debeat continere: Tragędiam, & Comœdiam vno solis ambitu comprehendi, vel paullisper variare: tribus vti instrumentis imitandi, nempe numero, & concentu, & metro, Poesim Dithyrambicorum, Poesim Nomorum, Tragędiam, Comędiam: differre has ab illis, quia hæ in diuersis temporibus, illæ in eodem tempore huiusmodi instrumenta vsurpent: Tragędiæ, & Comœdiæ modum esse dramaticum, Epopęiæ per enarrationem: Tragędiam successisse Epopęiæ, vt tacite significetur, quemadmodum hęc per misericordiam, & metum inducit talium perturbationum purgationem, sic illam quoque tales perturbationes perpurgare. Ex his omnibus sumpta est Tragędiæ definitio, cuius octo traduntur proprietates; prima, vt sit imitatio: hoc enim genus est Poesis. secunda, vt sit imitatio actionis probę: versantur enim poetæ in actionibus humanis exprimendis, & quia Tragędia imitatur actionem probam, in eo differt à Comędia. tertia, vt sit imitatio actionis perfectæ, qualem quoque Epopœia complectitur. quarta, vt sit imitatio actionis magnitudinem habentis, quæ vno Solis ambitu comprehendatur, vel paullisper variet. quincta, vt sit imitatio suaui sermone, qui fiat suauis, & iucundus, vt infra declaratur, numero, harmonia, melodia, vel, vt alij corrigunt, numero, harmonia, & metro. Si legatur primo modo, cum sermo intelligatur, qui sit poeticus, & ob id metris comprehensus, per numerum Casteluetrius exponit saltationem, per harmoniam sonum, per melos, vel melodiam cantum: aut per numerum saltationem, per harmoniā sonum, & cantum, per melodiam metrum. Si secundo modo, recipienda est secunda Casteluetrij explicatio, vt sit sermo suauis, qui adhibeatur in Tragœdia

gœdia

gœdia cum tribus imitandi instrumentis, tum numero vsurpato in saltatione, tum concentu, id est sono, & cantu; tum metro. Bartholomæus Lombardus, & Vincentius Madius per numerum, & harmoniam explicant metrum, per melos (legunt enim primo modo) Musicam. Ego tamen Casteluetrij sequor explanationem, quòd Aristotelem per numerum intellexisse saltationem animaduerterim, non solum in ipsa saltatoria, sed etiam in Auletica, & Citharistica, & per harmoniam Musicam ipsam, & idcirco tradidisse Epopœiam non habere numerum, nec harmoniam, sed sermones nudos, vel metra, Tragœdiam vero, & Comœdiam habere numerum, & harmoniam cum metro, quę saltatione, & Musica in Choricis vtebantur. Sexta proprietas est, vt sit imitatio separatim singulis formis in partibus agentibus, quia separantur ita instrumenta, vt quandoque sola metra adhibeantur, quemadmodum in actibus fabulæ, quandoque melodia, vt saltatio, cantus, & sonus, quemadmodum in Choricis. quod paullo post declarat Aristoteles, intelligens, illa tria per melos, vel melodiam, vt etiam in partibus qualitatis per Melopœiam. Septima proprietas est, vt sit imitatio non per enarrationem, quæ conuenit Epopœiæ, non Tragœdiæ, nec Comœdiæ. Vltima proprietas est, vt sit imitatio per misericordiam, & metum inducens talium perturbationum purgationem, quod facit quoque Epopœia. Iam oritur dubitatio, quòd cum Aristoteles in Topicis nobis auctor sit, ne in definiendo verbis translatis vtamur, ipse tamen in definienda Tragedia vsus est translato, dum dixit, condito sermone, *id est, suaui, sumpta metaphora ab ijs rebus, quæ condiuntur. Alexander hanc dubitationem in commentario Topicorum soluit, scribens oportere nos eiusmodi translationes vitare, quę tenebras offundunt. quòd si translatum verbum notum sit, nullo modo peccari, si ipsum in definitione adhibeatur, cuiusmodi videtur esse illud, quod Aristoteles vsurpauit. Præterea vero ambigit Madius, quomodo per misericordiam, & metum ipsa misericordia, & ipse metus perpurgetur; &, quoniam idem à se ipso non destruitur, intelligendum esse existimat, per misericordiam, & metum alias perpurgari perturbationes, vt iram, cui depulsæ succedit mansuetudo; & auaritiam, cui expulsæ succedit liberalitas; & luxuriam, cui deiectę succedit modestia, & temperantia. Nos exponimus misericordiã, & metum per misericordiam, & metum perpurgari, id est, non, vt explicat Madius, tolli, & destrui; sed temperari, & moderatiorem fieri. Cum autem professus sit Aristoteles, sumpturum se esse Tragędiæ definitionem ex ijs, quæ superius dicta sunt, dubitat quoque Casteluetrius, quomodo*

hæc

hæc vltima pars ex superioribus collecta sit, &, quia supra traditum esse de purgatione nihil inuenitur, idcirco imperfectum esse hoc opus argumentatur. Nos tamen putamus, vt modo notauimus, ipsam purgationem fuisse tacite significatam, cum Tragœdia successisse Epopœiæ dicta est eandem inducenti purgationem, ac satis esse, si pleraque, quæ colliguntur, ante fuerint expressa, quædam vero tacite significata; vt cum Aristoteles in prooemio artis Rhetoricæ duo expresse docuisset, Rhetoricam esse similem Dialecticæ, vt nullius sit generis definiti, & vtilem esse, in epilogo alia duo collegit, quæ tacite significauerat, munus eius esse non persuadere, sed videre, quæ pertinent ad persuadendum, & eiusdem esse videre persuasibile, & quod apparet persuasibile. postremo dubitatur, quòd Tragœdiæ finis tribui videatur animorum purgatio, & hoc modo vtilitas, non, ut nos existimamus, fabulosa delectatio. Quæ dubitatio ita à nobis in superioribus exempta est, vt illud conficeretur, duplicem esse finem Poesis, alterum per se, nempe fabulose delectare, alterum per accidens, scilicet perturbationes animorum perpurgare, & spectatoribus prodesse; talemque particulam adiectam esse, vt Platonis opinio refelleretur, putantis, Tragœdias, quas è sua eijciebat Rep. reddere homines nimis misericordes, & timidos, quæ tamen ex Aristotelis sententia, crebra miseriarum, & calamitatum humanarum ante oculos subiectione, fortes, & magnanimos efficiunt.

V.

DE PARTIBVS qualitatis.

QVemadmodum Rhetorica in oratione quasdam spectat partes qualitatis, vt inuentionem, dispositionem, elocutionem, quasdam quantitatis, ut procemium, Propositionem, Fidem, Epilogum: Sic Poetica quoque in Tragœdia non solum partes qualitatis, ut Apparatum, Melopœiam, Dictionem, Sententiam, Mores, Fabulam; verum etiam quantitatis, vt Prologum, Choricum Melos, Episodium, Exodum, intuetur. At de partibus

partibus quātitatis aliàs: nunc, quæ sunt qualitatis, perpendamus. Ac quoniam quidem agentes imitationem faciunt, ad huiusmodi imitationem conficiendam, apparatus personarum, vestimentorum, scenę, esse necessarius videtur. Quoniam vero quædam personæ saltando, quædam sonando, quædam canendo imitantur, necessaria est Melopœia. Et, quoniam aliæ loquendo, ideo etiam dictio. Prǽterea vero, quia agentes, vt cuiusdā-modi appareant, neceße est, nec cuiusdammodi apparere, nisi per sententiam, & mores queunt, etiam sententia, & mores requiruntur. Omnino quia actio imitanda est, & fabula est actionis imitatio idcirco fabula inter alias qualitatis partes enumeratur. Apparatus continet ea omnia, quæ ipsis spectatorum oculis subijciuntur, personas, vestimenta, scenam. Melopœia, quæ dicitur esse id ipsum, quod manifestam omnibus vim habet, saltationem, sonum, & cantum comprehendit. Dictio definitur, vt sit ipsa metrorum compositio. proprium enim instrumentum poetæ est metrum. Nomine sententię significantur ea omnia, in quibus dicentes demonstrāt aliquid, vel etiam enunciant mentem. per sententiam enim demonstrant aliquid, scilicet probando, vel refellendo: & enunciant mentem, tum ad aliquos affectus impellendo, tum amplificando, & diminuendo. Hæc enim tria munera infra tribuuntur sententiæ, vt confirmet, & refutet, vt affectus concitet, vt amplificet, & diminuat. Atque hæc sententia, quæ græce dicitur διάνοια, *multo latius patet, quàm illa, quæ* γνώμη *vocatur, & lib. 2. artis Rhetoricę definitur, vt sit enuntiatio non de rebus singularibus, sed vniuersalibus, nec de vniuersalibus omnibus, sed ijs, quę pertinēt ad agendum, vt Pulchrum est pro patria mori, Fortes Fortuna adiuuat, & aliæ huiusmodi. Mores sunt, secundum quos cuiusdammodi esse dicimus agentes, id est, aut bonos, aut malos. Ac mores quidem apparent ex præelectione: præelectio uero ex fine, ut lib. 1. Rhe. traditum est. Fabula est ipsa rerum compositio. Rediguntur autem hę ipse partes ad tres differentias superius explicatas, tum instrumenti, tum materię, tum modi imitandi. Duæ enim ad instrumentum referuntur melopœia, & dictio: tres ad materiam, fabula, mores, sententia: vna ad modum, quæ est apparatus ceteras omnes continens partes, sententiam, mores, fabulam, dictionem, & melopœiam.*

Fabula autem ceteris omnibus partibus pręfertur, quinque modis. primum sic. Quæ pars est finis, præstantior est ea parte, quæ non est finis: etenim finis maximum omnium est. At fabula est finis Tragœdiæ: nam Tragœdia imitatio est non hominum, sed actionum, & uitæ, & felicitatis, &

infe-

infelicitatis, talisque imitatio fit per fabulam, finem Tragædiæ, & actionem quandam, non qualitatem: fabulam enim per se consideratam dicunt explicatores in categoria agendi reperiri, at tanquã partem Tragædiæ cum alijs partibus esse in categoria qualitatis: præterea nullus poeta sumit actionem fabulæ propter mores, sed mores propter actionem fabulæ. Ergo maxima harum partium est rerum compositio, id est, ipsa fabula. Deinde sic; Quæ pars sublata tollit totum, est dignior ea parte, quæ sublata non tollit totum; vt sublatum caput de vita tollit hominem, at sublata manus non tollit. Fabula sublata tollit Tragædiam, mores vero sublati non tollunt: nam sine actione fabulæ fieri Tragædia non potest, at sine moribus potest: ex recentioribus enim Tragædiarum scriptoribus multi in moribus exprimendis curam non ponebant; quemadmodum etiam ex pictoribus Zeuxis mores non curabat, Polygnotus vero erat bonus morum descriptor, vt ob id lib. 8. Politicorum scriptum sit, pueros Polygnoti imagines, & signa imitari debere. Ergo fabula moribus dignior est. Præterea sic; Quæ pars perfecta magis perficit, quàm aliæ perfectæ, sine dubio alijs antecellit. At fabula perfecta magis perficit Tragædiam, quàm aliæ partes perfectæ: si quis enim ordine posuerit mores, & dictiones, & sententias bene factas, & perfectas, non efficiet, quod est Tragędię opus: sed multo magis efficiet Tragædia, quæ his quidem deterioribus vsa sit, at habeat fabulam, & compositionem rerum bene factam, & perfectam. Ergo fabula ceteris partibus antecellit. postea sic; Quæ pars res continet magis animos attrahentes, excellentior est. At fabula res continet magis animos attrahentes, nempe peripetias, & agnitiones. Ergo excellentior est. peripetiam autem esse eorum, quæ aguntur, in contrarium mutationem, & Agnitionem ex ignoratione in notitiam conuersionem, inferius apparebit. postremo sic; Quod tardius fit, dignius est eo, quod citius fit: tardius enim in artibus omnibus ad perfectiora fit progressio, citius vero ad minus perfecta. At fabula tardius fit: nam qui conantur rem poeticam agere, prius dictione, & moribus res exquisite tractare queũt, quam res componere, & fabulam conficere, vt & primi poetæ ferme omnes. Ergo fabula est dignior, & vere digna inter ceteras partes, quæ non solum finis appelletur, cum ad eam, vt ad finem ceteræ omnes referantur, verum etiam principium in poeta, qui prius fabulam componit, quàm ceteris partibus vtatur, & animus Tragædiæ, quia vt corpus ab animo informatur; sic Tragædia à fabula animatur. Secundus locus inter partes qualitatis datur moribus; quia vt in pictura primum locum habet ima-

go albo descripta, secundum pulcherrimi colores fusim illiti: sic in Poesi primus locus est fabulæ, morum secundus. Sententiæ autem tribuitur tertius. Declaratur, quid sit sententia, nempe dicere posse insita, id est, quæ de re sunt, etiam nulla habita ratione ornamentorum, & conuenientia, id est, quæ decora sunt, & ornata. quod in orationibus opus est Politicæ, vt insita dicantur, & Rhetoricæ, vt ornata. priores enim introducebant dicentes politicè sine ornamentis dicendi: posteriores vero Rhetoricè cum ornamentis. Ac distinguitur sententia à moribus; quia mores sunt tale quid dam, quod aperit praelectionem, qualis sit, in illis, in quibus non est manifestum, vtrum eligat, aut fugiat is, qui dicit. Quamobrem non habent mores nonnullæ orationum. sic enim verbum de uerbo expressum est. Victorius ex scripto deleuit illud, Is, qui dicit; *& vocem,* Nõnullæ; *& addidit,* In quib. neque omnino est, quod prçeligit, aut fugit dicẽs. *Robortellus hunc locum non explicauit. Madius cum se multum torsisset, animaduersa difficultate statuit tandem locum non esse integrum, & ex quorundam codicum tam calamo, quàm typis exaratorum lectione ita restituendum censuit;* Sunt autem mores tale quiddã, quod aperit prçelectionẽ, qualis sit. Quamobrẽ nõ habent mores nõnullç ex orationibus, in quib. nõ est manifestũ omnino, quod prçeligat, aut fugiat dicens. *Quidã reprehenderunt Madium, quòd, si ita verba ordinentur, futurum sit, vt absurdus esse, & falsus Aristotelis sermo videatur; non enim verum esse, vt ex ijs orationibus, in quibus non apparet proæresis, aut fuga, aliquæ tantummodo careant moribus, sed quæ tales sunt, omnes carere. perperam tamen reprehenderunt, quòd Madius nõ intellexerit, ex ijs orationib. in quibus non apparet proæresis, aut fuga, aliquas tãtummodo carere moribus, sed ex omnibus orationum generibus, non nullas non habere mores, id est, illas omnes, in quibus proæresis, aut fuga manifesta non est. Aliam vero afferunt explicationem, quæ spernenda non est, vt post totum hoc.* Qualis sit, *fiat interpunctio. postea rursus inde incipiat oratio; Sunt autem quædam, in quibus non est manifestum, & quæ sequuntur. Locique sententiam in hunc maxime modum exprimunt; Mores dixerat esse tale quiddam, quod praelectionem, qualis ea sit, indicat. nunc subiungit, quòd aliquæ sunt orationes, in quibus non apparet, quid is, qui dicit, sequatur, aut fugiat. Quod si ita est, sequitur, vt aliquæ sint etiam, quæ mores non habeant. Sententia vero est in illis, in quibus demonstrant aliquid aut esse, aut non esse, scilicet secundum partem, vt Apud Aeneam non est tuta fides, aut enunciant aliquid in vniuersum, vt Nusquam est tuta fides. Quatus*

tus locus conceditur dictioni, quæ est per verba interpretatio, & quidem aut poetica, aut oratoria: sed dictio poetica est ipsa metrorum compositio, vt superius definita est. Reliquarum vero quinque Melopœia est maximum condimentorum. *Madius inquit; Vox* Quinque *fortasse male legitur, cum,* Quincta, *potius legendum sit. Nam clarum est Melodiam esse quinctam reliquarum partium, sed non quinque. Quidam, si* Quincta *legatur, duram constructionem existimant, & hanc loci sententiam afferunt; Excepto apparatu (nam is minimum habet artis inter reliquas Tragœdiæ partes, quæ quinque remanent) excellit maxime in suauitate Melopœia ipsa, per illud enim, quod dicit,* Reliquarum, *partem aliquam auferri ab integro Tragœdiæ partium numero, quæ sex dictæ sunt esse. partem porrò ablatam esse apparatum, quòd is ad alium potius artificem, quàm ad Tragicum spectet. Superlatiui quoque naturam, quo hic vtitur Aristoteles, efficere, vt Melopœia connumerari debeat inter reliquas illas quinque, quia eiusdem generis debeant esse, quæ superlatiue comparantur. id quod confirmat Laurentius Valla, scribens in superlatione accipiendum esse genus pro multitudine eiusdem numeri, cuius est etiam id, quod comparatur, vt cum dicitur Hector fortissimus Troianorum, intelligitur fuisse Hector eiusdem multitudinis, cuius erant alij quoque Troiani, etiã si ceteris præferatur. Quamobrem cum Melopœia hoc in loco superlatiue comparetur, debet esse inclusa in casu superlationis, & esse comprehensa inter reliquas partes, inter quas primum locum obtinet, si suauitas spectetur. Nos tamen nõ videmus, si legatur* Quincta, *vt Madius legendum censet, cur sit tam dura constructio, cum intelligi facile possit,* Reliquarum partium, *id est earum, quæ ex sex partibus numeratis reliquæ sunt (restabat enim agere de Melopœia, & Apparatu)* ipsa Melopœia est quincta, *appositiue* maximum condimentorum. *præterea, si legatur,* Reliquarum quinque, *non videmus, cur ab integro Tragœdiæ partium numero auferendus sit apparatus, & inter reliquas illas quinque connumerari debeat Melopœia. Nam tametsi apparatus ad alium potius artificem, quàm ad Tragicum spectat, tamen est pars necessaria Tragœdiæ si ipsa Tragœdia consideretur, quatenus in scena agitur, ita vt is non fuisse excludendus à comparatione ceterarum partium nobis videatur, & partem ablatam intelligi posse Melopœiam putamus, vt sententia sit, Reliquas partes quinque præter Melopœiam, id est, fabulam mores, sententiam, dictionem, apparatum, ipsa Melopœia superat suauitate. Nec obstare arbitramur, quòd quæ superlatiue comparantur, debeant esse eius-*

VII.

FABVLAM OPORTERE totam esse.

Fabula igitur debet esse tota, id est, eiusmodi, vt principium, medium, & finem habeat. Duo autem in principio requiruntur; primum vt ita ex necessitate ab alio non pendeat, vt per se stare nequeat; tametsi enim principium potest ab alio pendere, tamē debet esse eiusmodi, vt per se stare, & considerari, tanquàm principium rei ab ipso pendentis queat. Quæ caussa fuit, quamobrem nonnulli principium Rolandi furiosi à Ludouico Ariosto conscripti reprehenderint, tamquam ita necessario pendens ab amore, quem Comes Matthæus Maria Boiardus descripsit, vt sine eius cognitione intelligi minime possit. Deinde in principio requiritur, vt ab eo res pendeat quæ naturaliter est, vel fit. Finis vero constituitur duplex, vnus necessarius, vt occasus eorum omnium, quę ortu sunt: alter non necessarius, qui euenit plerunque, vt post fundamentum, & parietes domus; vel euenit etiam raro, vt post amicæ repulsam amantis interitus, quem finem ab Aristotele non commemoratum quidam alij suppleuerunt. Itaque finis post aliud naturaliter est: post finem vero aliud nihil est; vt frustra fini Aeneidis imposito à Virgilio Mapheum Vegium addidisse librum decimum tertium, & fini Iliadis facto ab Homero, Quinctum adiunxisse multa, nonnulli merito notauerint. Medium est, quod & ipsum post aliud est; & quod inter principium, & finem interiectum est. Quomodo autem intelligi tota fabula, & tota fabulæ actio debeat, non parua est dubitatio. Etenim non tota aliqua actio comprehendi in Poesi, sed vna tantum pars videtur, vt in Iliade pars belli Troiani post iram Achillis vsque ad captum Ilium: in Odyssea itineris facti ab Vlysse illa pars, quæ fuit ab Ogygia insula, vbi erat Calypso, vsque in patriam Ithacam: in Oedipode Tyranno actionis Oedipodis, qua ipse ad mortem est perductus, illa tantum pars, quæ post reditum Creontis ab oraculo usque ad cęcitatem ipsius Oedipodis, vno die comprehensa est: in Aeneide, nauigationis Aeneæ illa

pars,

na, quæ dicitur tota fabula, inseruntur, episodia esse. Hanc vltimam solutionem, vt sequamur, facit ipse Aristoteles, qui scribit, etiam in hoc diuinum apparere Homerum prĕter ceteros posse, quia neque bellum, quamuis habens principium, & medium, & finem, aggressus est versib. totum describere; id enim euasurum erat valde magnum, & quod non facile conspici poterat, vel certe si modicum fuisset magnitudine, nimis varium extitisset: sed cum vnam partem abstulisset, episodijs vsus est multis, vt nauium catalogo, & alijs, quibus distinxit Poesim, episodijs. Hæc ille; vnde perspici facile potest, totam actionem Iliadis quam sibi pertractandam suscepit Homerus, non esse totum bellum Troianum, sed vnam belli Troiani partem, post iram Achillis vsque ad captum Ilium: cetera vero esse episodia.

VIII.

FABVLAM IVSTAE magnitudinis esse oportere.

Eadem autem est ratio fabulæ, & animalis pulchri. cum enim pulchrum in magnitudine, & ordine consistat, neque omnino paruum animal esse pulchrum potest, quia eius spectatio, quĕ prope insensibili tempore fiat, propter nimiam paruitatem confunditur: neque omnino magnum, quia eius spectatio propter nimiam magnitudinem euanescit, vt si sit animal μυρίων σταδίων, *id est, decem millium stadiorum, vel, vt quidam correxerunt,* μ̄. σταδίων, *id est, quadraginta stadiorum. Quemadmodum igitur in corporibus, & in animalibus inesse quidem magnitudinem oportet, sed eam, quæ facile conspici queat: sic etiam in fabulis inueniri quidem longitudo debet, sed ea, quæ facile retineri memoria possit. Longitudo autem fabulæ duobus modis obseruata est; aut quatenus spectabat ad contentiones eorum poetarum, qui certo spatio temporis in actione fabularum contendebant, & victoriam quærebant, ac referebatur ad sensum, id est, ad visum, & auditum per quasdam horas, quas Tragœdiarum recita-*

tione

circo non satis boni fuerunt poetæ. At fabula vna est, si vna actio vnius personæ pertractetur. Qua in re (quemadmodum etiam in alijs) mirabiliter excelluisse dicitur Homerus, aut propter artem, aut propter naturam. Hunc autem locum supra quoque considerauimus, cum de furore poetico egimus, Casteluetrium refellentes, qui Aristotelem furorem poeticum non agnouisse hinc argumentatus est; quasi vero, cum artem, vel naturam commemorauerit, ipsum furorem excluserit. Mentionem enim fecit tantum artis, & naturę, quia caussas humanas, quæ in præceptis solent considerari, obseruauit. De caussa diuina nihil egit, quæ sub præcepta non cadit, quam tamen alibi se agnouisse ostēdit, vt aperte declarauimus. Homerus igitur Odyſseam faciens non descripsit omnia, quæcunque Vlyssi contigerunt, vt, quemadmodum, cum in mōte Parnasso venaretur, ab apro vulnus in crure accepisset, & quemadmodum insaniam in coitione exercitus simulasset. Obseruauit Madius, de simulata quidem Vlyssis insania in ducum collectione nihil apud Homerum legi: de vulnere vero ei illato, dum in Parnasso venaretur, in Odyssea decimo nono paucissimis verbis mentionem fieri, vt paucitate verborum excusasse Aristotelem videatur, qui de eo vulnere non egisse Homerum affirmat; quasi qui breuissime egerit, non egisse existimandus sit. Casteluetrius illam mentionem vulneris, contra quàm scripserit Madius, copiosissime factam fuisse animaduertit, quippe quę pluribus quàm septuaginta versibus comprehensa sit, & idcirco alteram attulit Aristotelis excusationem, quod Homerum de eo vulnere non tanquam de præcipua Vlyßis actione, quam in Odyssea susceperat exornandam, sed per accidens tractasse intellexerit, vt id, quo de præcipue agebat, eo episodio declararet; pertinet enim eiusmodi episodiū ad declarandum, quomodo ex eo vulnere, & eius vulneris cicatrice Vlyssem Euryclea nutrix agnouerint. Quæ explicatio recipienda est potius, quàm ea, quàm idem annuit Casteluetrius, vt Aristoteles, qui tam sæpe, & tam diligenter Homeri opera versauerat, rem tam notam oblitus sit, & lapsus esse memoria videatur. In Odyssea igitur Homerus non omnes Vlyssis actiones descripsit, sed circa vnam actionem mansit ab eius profectione de insula Ogygia vsque in patriam Ithacam. Similiter vero etiam in Iliade circa vnam actionem Achillis ab ira eius vsque ad captum Ilium. Iam cur fabula debeat esse vna, affertur ratio sumpta ab alijs imitatricibus artibus, in quibus vna imitatio est vnius rei imitatio. sic dicitur fabula vnam actionem vnius personæ imitari debere, & quidem vnam actionem totam, quæ habeat suas partes ipsius essentiam con-

constituentes, cuiusmodi sunt illæ, quæ aut transposita, aut ablata, diuersum reddunt, & mutant totum, vt si narratio errorum Æneæ habita apud Didonem aut ad Acesten, aut ad Euandrum transferatur: Nam quæ partes in ipso toto nihil efficiunt, quod appareat, ita vt vel transposita, vel ablata, diuersum non reddant, nec mutent totum, non constituunt essentiam totius & ne dignę quidem sunt, quæ partes, nisi improprie, appellentur, vt conuersio nauium Æneæ in marinas nymphas, cum exurere Turnus eas voluit, quæ legitur lib. 9. Æneidos. Cum autem Aristoteles tradat, in Poesi non multas actiones vnius, sed vnam vnius exprimendam esse, si contraria horum duorum generum connumerare velimus, quattuor esse præcipua genera describendarum actionum inueniemus: vnum, cum multæ actiones vnius describuntur, quod fit per descriptionem vitæ, vt apud Plutarchum, & est alienum à natura Poesis, vt notauit Aristoteles de Herculeide, & Theseide: alterum contrarium, cum vna actio multarum personarum, vt per historiam; quod ne Poesi quidem conuenit, vt reprehendendus esse Statius in Thebaide videatur, qui non vnam actionem Polinicis, sed septem Regum describat: tertium, cum multæ actiones multorum, vt per Chronica, Diaria, Annales, libros dictorum, & factorum memorabilium; quod ne poetis quidem accommodatum est, vt ea de caussa in nonnullam reprehensionem inciderit Ouidius in libris Metamorphosium, & Areostus in Rolando Furioso: quartum, cum vna actio vnius, vt per Poesim. De quo tametsi aliqua oriri posse dubitatio videtur, quia singuli Epopœiæ libri singulas quodammodo contineant actiones; & in Hercule Furioso Euripidis, ac Seneca, alia actio sit Herculis occidentis Lycum Thebanorum Tyrannum, vt iniuriam Megaræ vxori suæ illatam vlcisceretur, alia eiusdem Herculis, cum factus furiosus opera Iunonis vxorem occidit, & filios; atque in Andria Terentij alia actio sit Pamphili amantis Glycerium, alia Charini amantis Philumenam: tamen à quibusdam responsum est, & recte responsum, vnam actionem esse præcipuam, ceteras aduentitias, & episodicas.

X.

FABVLAM OPORTERE eiusmodi esse, vt fieri potuerit.

Debet quoque fabula eiusmodi esse, vt fieri potuisse videatur. quod praeceptum dum tradit Aristoteles, sane egregium, & praeclarum, simul poetae munus docet: poetam ab historico seiungit: Poesim historiae anteponit: poetis licere nomina confingere, historicis non licere ostendit: quosdam poetas id posse magis facere, quosdam minus, aperit: Tragœdiae in vsu nominum triplicem esse licentiam commonstrat: poetae naturam positam esse magis in fabularum, quàm metrorum confectione explanat: si contigerit facta pangere, quomodo in eis quoque postea esse posit, declarat. Ac poetae quidem munus non est facta dicere, sed qualia fieri debent, & quae fieri possunt secundum verisimile, vel necessarium. Facta enim pertinent ad historiam, vel ecclesiasticam, si sint Dei facta; vel naturalem, si naturae; vel humanam, si hominum. Quę vero fieri possunt, Poesis propria sunt, siue sint verisimilia, vt hominem mori, qui in capite vulneratus sit, siue necessaria, vt eum ex hac vita discedere, cuius cor vulneratum sit. Res igitur, quae finguntur à poetis, debent esse eiusmodi, vt fieri possint. Id quod tametsi illud habet dubitationis, quòd secus factum esse conspicitur quemadmodum cum fictum est, deos ambrosia vesci, nectar bibere, vulnerari, vt Venerem à Diomede, patere viam ad inferos viuis adhuc hominibus, esse Cyclopes esse Syrenes, nebulas loqui, vt apud Aristophanem, mutari homines in feras Circeio poculo, & alia eiusmodi: tamen ad hanc dubitationem à nonnullis responsum est, & recte nostro quidem indicio responsum, aliquid fieri posse, intelligi duobus modis, aut ex rei veritate, & hoc modo illa fieri non posse, aut ex vulgari opinione, & hoc modo posse. quod satis est poetis, qui ad popularem se accommodant opinionem. Nam ipsi res fingunt aut secundum naturam, & quidem recte, vt in Tragœdijs, & Comœdijs: aut praeter naturam; idque dupliciter, aut ex hominum opinione, quod reprehendi non debet, aut praeter hominum opinionem, quod reprehensione

hensione dignum existimandum est, quemadmodum si quis Achillem ignauum, & Vlyssem imprudentem fingeret, non solum contra eorum ipsorum naturam, verum etiam contra quàm communiter homines de illis opinantur. Distinguuntur vero inter se historicus, & poeta, non metro, nec soluta oratione: quia cum soluta oratio ab historia, & metrũ à Poesi abesse queat, nec illa illius, nec hoc huius naturam constituere censendum est: Liceret enim, inquit Aristoteles, Herodoti historiam, in metris ponere, & non minus esset historia quędam cum metro, quàm sine metris; & similiter (possumus enim exemplum conuertere) liceret Sophoclis Poesim in soluta oratione ponere, & non minus esset Poesis quædam cũ soluta oratione, quàm sine soluta oratione; etiam si non simpliciter historia, & Poesis, sed historia quædam, & Poesis quædam, id est, parum decora, quippe quæ alieno instrumento confecta esset, appellanda esse videretur. Differunt, inquam, inter se historicus, & poeta, non metri, nec solutæ vsu orationis, sed quod ille facta: hic vero, qualia fieri debent, describit. Nam tametsi quidam ex ijs, qui communi appellatione poetæ nominantur, facta complexi sunt, vt Silius Italicus bellum Punicum, & Lucanus bellum Pharsalicum: tamen id nullum negocium nobis facessit, cum illos ex doctrina Aristotelis historicos magis, quàm poetas iustum sit appellare. Iam Poesis est res magis philosophica, & melior, quàm historia, quia illa magis vniuersalia, hæc magis singularia pertractat: & illud magis proprium est philosophorum, quos iubebat Plato à summis generibus per media genera, & medias formas ad vltimas formas, quæ omnia vniuersalia sunt, descendere, atque ibi consistere; idemque melius est, tanquàm ad scientiam accommodatius: hoc vero minus philosophicum, & minus bonum est, cum singularia innumerabilia sint, & sub scientiam minime cadant. Quæritur autem, quomodo Poesis vniuersalia persequatur, cum de singulis hominum actionibus confici videatur, ac in Tragœdia, & Epopœia sumantur ea, quæ quibusdam personis illustribus euenerunt, atque in Comœdia quoque res tractari singulorum hominum videantur. Ad quam quæstionem responderi solet, & recte, Poesim tractare vniuersalia, id est, in vniuersum considerare singularia, quatenus scilicet plurimis de caussis, & plurimis modis euenire potuerunt; vt singulare factum fuit Orestis, cum Clytemnestram matrem interfecit. id tamen in vniuersum consideratur à poeta, quatenus plurimis de caussis, & plurimis modis potuit euenire; & in hoc vniuersali versatur poetica, vt caussas, & modos ex arbitrio fingat, prout afferre posse maiorem delectationem videantur.

Cum enim Eustratius in primum librum Ethicorum Aristotelis scribat triplex esse vniuersale, vnum ante partes, cuiusmodi sunt rerum omnium ideæ in mente dei conformatæ; alterum in partibus, vt totum ad suas partes relatum; tertium post partes, vt genera, & species: addendum est hoc quartum vniuersale, quod est poetarum proprium, circa partes, id est, circa singularia facta, vt in vniuersum considerentur caussæ, & modi, quibus illa euenire potuerunt. Ac quemadmodum poeta in singulis rebus id, quod fieri potuit, obseruat: sic historico quoque de rebus incertis licet iudicium facere ex eo, quod fieri potuit, dummodo res incertas, tanquam incertas tractet, & de eis probabiliorem faciat coniecturam. Qua in re inter ceteros admirabilis est Dionysius. Est, inquit Aristoteles, vniuersale, cum exponitur, quemadmodum tali talia contingat dicere, aut facere secundum verisimile, aut necessarium, id quod spectat Poesis, nomina imponens, scilicet ex qualitate personarum, quod fecit Plautus, Terentius, & alij. Singulare vero, quid Alcibiades fecerit, aut passus sit. quod historia complectitur vera nomina seruans. Quo autem magis, vel minus aliqui sequuntur vniuersale, eò etiam magis, vel minus eis licet nomina confingere, vt Comici sequuntur magis vniuersale, ideoque nomina ex arbitrio imponunt: Iambici vero spectant magis singulare, idcircoque nomina non fingunt, sed veris vtuntur. Quod attinet ad Tragicos, factis nominibus hærent, propter maiorem ipsarum rerum persuasionem. Nam (vt argumentationes Aristotelis conformemus) quòd fieri potest, appositum est ad persuadendum. Quæ facta sunt, manifestum est fieri posse. Ergo quæ facta sunt, apposita sunt ad persuadendum. Prçterea omne appositum ad persuadendum fieri potest. Nulla, quæ nunquam facta sunt, scilicet aut ipsa, aut similia, fieri possunt. ergo nulla, quæ nunquàm facta sunt, apposita sunt ad persuadendum, cuius argumentationis vi, ut notauit Seruius, à criticis reprehensus est Virgilius lib. 9. Aeneidis de nauium conuersione in marinas nymphas, quæ exemplo caret, & nunquàm alias facta est. Defendi tamen potest Virgilius, quòd res eiusmodi factas esse, & hoc modo fieri posse, si non ex ipsarum rerum natura, & veritate, at saltem ex populari opinione, ad quam poemata accommodantur, licet affirmare. Additur, in nonnullis Tragœdijs alia nomina esse uera, alia ficta; quod audacter, ut solet, reprehendit Casteluetrius, quoniam, vt ait, non aliqua nomina sint vera, & aliqua ficta, sed omnia vera, nempe illustrium personarum, & quæ ex historia, aut fama cognoscuntur; personæ vero obscuræ nomine officij nominentur,

nentur, vt seruus, nutrix, nuncius, tibicen, sacerdos; nisi si qua huiusmodi persona nomine proprio ex historia nota sit, vt Talthybius tibicen in Hecuba Euripidis. Nos, dicat quidquid velit criticus Casteluetrius, nullum satis idoneum impedimentum videmus, quominus aliqua nomina, vt à philosopho præcipitur, fingi queant. Probatur quoque in aliquibus Tragœdijs nulla nomina esse vera, sed omnia ficta, exemplo sumpto ex Agathonis Flore; itque hæc affertur ratio; Fabula Tragica ex historia cum aliquibus nominibus sumpta omnes pariter delectat spectatores, etiam si pauci illius actionem, & nomina vera esse cognoscant. Ergo, vt actio, & nomina vera sint, necesse non est. Sed operæ precium est considerare, quid acutus reprehensor obijciat. Scribit enim, spectatores putare, actionem, & nomina ignota vera esse, atque si scirent ficta, nullam percepturos esse delectationem; vt de vita M. Aurelij Imperatoris à quodam Hispano conscripta ait euenisse, quam nonnulli veram existimantes cum magna delectatione legebant; postea vero quàm fictam agnouerunt, prorsus aspernati sunt. Quod attinet ad exemplum sumptum ex Agathonis Flore, argumentatur, aut illam Tragœdiam continuiße materiam Regiam, aut priuatam; primo modo falsum esse, vt æque docti, & indocti ex ea perceperint voluptatem, cum illi, qui sciebant illius Tragœdiæ actionem, & nomina esse ficta, parum delectari potuisse videantur: secundo modo, non fuisse laudabilem, cum materiam Tragicam non habuerit. O miram ingenij subtilitatem, quæ, cum aliquam habeat probabilitatem, non efficit tamẽ, vt à doctrina Aristotelis discedamus, quippe qui posthabitis his captiosis argumentis ei facile aßentiamur, quod ad ipsam attinet delectationem, nihil interesse, vtrum actio, & nomina existimentur vera, an ficta; cum ipsa non ex actionis, & nominum veritate, sed ex rerum imitatione, & compositione percipi videatur; diuersaque sit ratiò fabulæ Tragicæ, & rei historicæ; propterea quòd illa, etiamsi à vero lõnge absit, sua natura delectat: hæc si aliquam habeat falsitatis suspicionem, parum placet. Aliud enim est imitationem spectare poeticam, quam multis constare figmentis omnes sciunt, etiam si eo delectentur, quòd ipsa rerum fictarum, tamquàm verarum ante oculos subiectione quodammodo decipiantur: aliud historiam legere, vel audire, à qua omnes ueritatem requirunt. Flos autem Agathonis continuit sine ullo nostro dubio materiam Regiam, totam fictam: & nihilominus omnes delectauit ipsa, ut modo dicebamus, rerum imitatione, & compositione. Iam uero repetitur, quod alibi traditum est, poetam esse oportere magis fabularum effectorem, quàm metrorum, &

poetam esse ex ipsa actionum imitatione. Quaritur postremo, si contigerit uera facta pangere, an in eis poeta esse possit. Quam quaestionem ita declarat Aristoteles, ut dicat, Factorum nonnulla nihil probibere talia esse, qualia uerisimile est fieri, & esse posse, & quatenus ea modo uerisimili, & qui fieri possit, tractet, eatenus eorum poetam esse, ipsa scilicet imitando, ex qua imitatione poeta existit. Hic locus uarijs modis explicatur. Lombardus, & Madius putant, nihil uetare, quominus aliquae actiones, quas poeta imitatur, uerae sint, & in eis appellari poetam, quoniam ipsas sic exprimat, ueluti esse deberent; cumque eius munus sit, res eo modo scribere, quo decenter fieri possent, falsum esse, eum non posse res ueras describere; nam si quapiam actio decore edita sit, nec in ea quicquam desideretur, poetam eam tamquàm uerisimilem, & quae fieri posit imitando, nomen poetae amissurum non esse, etiam si nihil addiderit, aut diminuerit, sed eam, prout euenisse sciuerit, imitatione expresserit. Robortellus existimat, tractari quidem posse à poeta ea, quae vera esse cognoscit, sed cum aliqua fictione. hunc enim locum ita exponit, ut Aristoteles dicat, licere fingere in quamlibet etiam ueris; & tradit tunc fingi, quotiescunque res nõ narratur, uti gesta fuit, neque exprimitur, secundum proprium euentum, quem omnes sciunt in actione illius fuisse, sed ut agi potuit secundum uerisimile; & ideo in actione uera, quatenus ita fingit poeta, nihilo minus fore poetam. ac si actionem, & fabulam totam, omniaque nomina confingeret. Idem paullo post repetit explicationem his uerbis; Quatenus igitur fingit in rebus, uerisque actionibus, uel ipsas augens, uel exornans ex uerisimili, neque narrans sicuti se habent, ex hoc satis patet, esse poetam. Casteluetrius ita explicat, ut dicat, si contigerit facta pangere, non quae ipse sciuerit, sed quae nesciuerit uera esse, & tamen à se excogitata in suo posuerit poemate, eum esse poetam non minus, quàm si ea nunquam euenissent, scilicet propter laborem, quem susceperit in illis excogitandis: sed si sciuerit euenisse ea, quae describit, non esse poetam, quemadmodum tradidit Aristoteles esse historicum, & non poetam illum, qui Herodoti scrĩpta in metris posuerit. Nos putamus ipsum Casteluetrium in errore uersari; quia tametsi Aristoteles praecepit, eum, qui historias Herodoti, eo nẽpe modo, quo ab ipso Herodoto scriptae sunt, in metris posuerit, non esse poetam, sed historicum, non tamen negauit esse poetam eum, qui aliquod factum ex Herodoti historijs sumpserit. & ex eo, prout uere euenerit, aliquam Tragoediam, uel Comoediam, uel Epopoeiam formauerit, ac tale factum uerum modo proprio, id est, poetico pertractauerit, & imitatus sit.

Modus

Modus enim tractandi operibus formam affert. Quoniam vero nouas Robortelli fictiones in rebus veris ex hoc Aristotelis loco non colligimus, idcirco primam sequimur explicationem, vt Aristoteles dicat, si ita res feret, vt ea ipsa, quæ acciderunt, quæque facta sunt, scribenda sint poetæ, nō idcirco poetæ nomen amissurum esse eum, qui ea, vt gesta sunt, narrabit, siquidem ea talia fuerint, vt verisimile sit, ac probabile eo modo euenisse, quo euenerunt, & potuerint facile ea ratione fieri, qua facta esse describit poeta.

XI.

FABVLAM NON OPORTERE episodicam esse.

CVm tradat Aristoteles, Simplicium fabularum, & actionum Episodicas esse pessimas, declarandum est, quas appellet fabulas simplices. Præterea, cum doceat Episodicam fabulam esse, in qua Episodia nec verisimiliter, nec necessario nexa sint, opus est explicare, quæ nominet Episodia. Deinde cum præcipiat, Fabulas effici Episodicas partim à malis poetis propter ipsos, partim à bonis propter histriones, id quale sit, cognoscendum est, atque ita cognoscendum, vt Virgilius, quem Episodicam fabulam fecisse, Casteluetrius notauit, an merito reprehensus sit, exquiratur. Ac simplex quidem fabula in hoc libro dicitur tribus modis. Nam aut à multiplici distinguitur descriptione, & est, quæ vnam continet actionem vnius personæ differens à descriptione uitæ, quæ multas actiones vnius personæ comprehendit, & ab historia, quæ vnam actionem multarum personarum, & à Chronicis, Diarijs, Annalibus, & Libris dictorum, ac factorum memorabilium, quæ multas actiones multarum personarum; ita vt simplex fabula significet idem, atque una, de qua supra scriptum est. Aut seiungitur ab implexa, & est, quæ ex vna tantum materia composita

ta est, vel ex sola felicitate, vel ex sola infelicitate, vt Prometheus Aeschyli perpetuo miser. Nam implexa est, quæ ex vna in alteram fortunam habet mutationem, vt infra dicetur. Aut discernitur à duplici, & est, quæ habet vnum genus personarum, & personas eiusdem qualitatis, & bonitatis, quæ ex prospera in aduersam fortunā mutantur. Duplex. n. imitatur duo contraria genera personarū, vnū bonarū, alterum malarum, ita vt bonæ ex aduersa in prosperā fortunā, malæ cōtra mutari videātur, vt infra quoque explicabitur. Nunc fabulæ simplices primo modo intelliguntur, quemadmodum etiam Lombardus, & Madius explicarunt. Episodia vero cum alibi aliter accipiantur, hic significant res singulas à poeta inuentas ad ostendendam naturam facti, quod summatim cognoscitur; quæ aut fabulā Episodicā reddunt, si nec verisimiliter, nec necessario nexa sint: aut non reddunt, si eorum nexus sit verisimilis, aut necessarius. Exempli gratia in Aeneide factum summatim cognitum Aeneæ in Italiam est nauigatio. Ad ostendendam vero naturam huius facti inuentū est episodium de procella in mari Libyco habita, qua Aeneas Carthaginem ad Didonem delatus est. Cum hoc nexa sunt alia episodia, nempe de Troiæ excidio ipsi Didoni narrato, de Troianorum vsque ad Siculum mare nauigatione eidem Didoni exposita, de amore insano Didonis, de reditu Aeneæ in Siciliam, & ludis in Anchisæ patris mortui honorem celebratis, de aduentu ad oras Cumarum, & descensu ad inferos, de Caieta nutrice sepulta, & profectione ad vrbem Laurentum, ac re acta cum Latino, de apparatu bellico in Turnum, de occupatione in conquirendis Tusciæ auxilijs, de cęde Mezentij, de cęde Camillæ, de cęde Turni; quæ ita inter se nexa sunt, vt omnia fieri potuisse videantur, omniaque verisimilia, aut necessaria habeantur. Itaque Aeneidis fabula Episodica non est. Ac fiunt quidem Episodicæ fabulæ duobus modis; aut à malis poetis propter ipsos, id est, propter ipsorum ignorantiam: aut à bonis propter histriones, id est, propter studium histrionibus gratificandi. Cum enim histriones certamina facientes ad certum temporis spatium certarent, & vt illud tempus complerent, plus æquo fabulam producerent; sępenumero illud peruertere cogebantur, quod efficere debebant, atque aliquod episodiū interserere Tragœdię minus accōmodatū. Qua in re poetę gratificari illis solebant. Et, quod de histrionibus dicitur, de alijs quoque intelligendum est, quibus poetæ quandoque gratificantur. Mali igitur episodicas efficiūt fabulas inuiti, & ignorantes: boni vero volentes, & gratificātes; vtrique tamen maxime reprehendendi. Iam Casteluetrius vtrumque vitium obij-

cit Virgilio, tum ignorantiam in Episodio, quod montem Atlantem describit, nec verisimiliter, nec necessario, vt ipse putat, nexo: tum studium Romanis gratificandi in duobus episodijs, altero, quod Didonis, & Aeneæ continet amorem, altero, quod ipsius Aeneæ ad inferos descensum narrat; quæ nec verisimiliter, nec necessario nexa esse contendit. Quoniam autem fieri potest, vt decipiatur, idcirco eius obiectiones cuiusmodi sint, singillatim perpendemus. Nam, quod attinet ad montem Atlantem, cum finxisset Virgilius Mercurium à Ioue Carthaginem primo missum, vt Pœnorum animos in Troianos mitigaret, nullam eius montis descriptionem fecit, sed tantum dixit lib. 1.

Volat ille per aera magnum
Remigio alarum, & Libyæ citus astitit oris:

Rursus, cum eundem Mercurium eiusdem Iouis iussu de cœlo lapsum imitatus esset, vt Carthaginem iret, & ibi non permanendum esse, sed iter in Italiam conficiendum, Aeneæ nunciaret, veluti sui oblitus, vt ait aduersarius, ac ignorantia quadam ductus, talem mõtem, vbi Mercurius, priusquam Carthaginem aduolaret, constitit, & conquieuit, in hunc modum descripsit, lib. 4.

Iamque volans apicem, & latera ardua cernit
Atlantis duri, cœlum, qui vertice fulcit:
Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput & vento pulsatur, & imbri:
Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.
Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit.

At, inquit aduersarius, primum necesse non erat Mercurium in eum montem volare, quemadmodum ne in prima quidem, quæ ei oblata est, occasione, fuit necesse, vt Virgilio ignorantia tribui possit, qui, quod aliàs fecit, oblitus sit: deinde non fuisse verisimile videtur, vt alatus deus, qui more auium non defatigabatur, in eo monte consisteret: postremo, vt id verisimile esset, nulli tamen rei seruire ea descriptio existimatur, cum fieri montium, aliorumque locorum descriptiones solitæ sint, vt actiones illis in locis habitas clariores reddant; nihilque intersit eius precipuę actionis, quæ describitur à Virgilio, vt in eo monte fuisse niuem, flumina, & glaciem cognoscatur. Hæc quidem ille satis ingeniose, sed nimis audacter, vt solet, &, vt ego arbitror, falso. Virgilius enim non obliuione aliqua,

aut ignorantia, sed prudens, & sciens libro quidem primo prætermisisse, at libro quarto non omisisse Atlantis descriptionem mihi videtur, quòd vbi de pacandis Pœnis, eorumque furentibus animis tranquillandis, ac omnino de Troianorum incolumitate agebatur, nullã moram facere Mercurius debebat, & vt maior velocitas, ac celeritas exprimeretur, eiusmodi erat descriptio prætereunda: contra vero, ubi nulla opus esse properatione videbatur, cum Aeneas in nullis periculis, sed apud Didonem in omnibus voluptatibus versaretur, tantumque id agebatur, vt in sententia itineris in Italiam persequendi persisteret; ostentari poetæ ingenium in illius poterat montis descriptione. Neque vero illud prorsus carebat veri similitudine, vt qui corpus, & alas haberet, defatigari posset, etiam si Deus esset: nam cui aliquid tribuitur, eidem etiam quod consequitur, est tribuendum, vt si Deis corpus, & corporeæ actiones, quas consequitur defatigatio, tribuuntur, simul ipsis tribui posse ipsa defatigatio, maxime ex vulgari opinione, ad quam poetæ se accommodant, videatur. Nec semper descriptiones fiunt ad præcipuas actiones declarandas: sed quandoque ad poetæ ingenium ostentandum, & maiore lectores delectatione afficiendos. Puto igitur magis Casteluetrio, quàm Virgilio ignorantiam esse tribuendam. Addit Didonem, quæ Carthaginem condiderat, infamia notatam esse propter studium Romanis gratificandi, quibus hostes acerrimi Carthaginenses fuerunt; & in eo episodio tria quoque reprehendit; primũ quòd quæ fuisse pudica existimatur, impudica ficta sit: extat enim elegans apud Ausonium epigramma, quo illa se ab impudicitiæ nota, & crimine vindicat. Deinde quòd quæ eo tempore non fuit, cum Aeneas venisse in Italiam fertur, nefandum cum ipso Aenea exercuisse amorem dicta sit: Aeneas enim in Italiam venit annis pluribus quàm trecentis ante Romam conditam, vt narrat Iustinus lib. 43. Dido vero Carthaginem cõdidit, antequàm Roma esset condita, anno septuagesimo secundo, vt scribit idem Iustinus lib. 18. Itaque hæc temporibus illius non fuit, quæ post ipsum fuisse annis ducentis viginti octo commemoratur. postremo quia animaduersum non sit, Didonis infamiam cum Aeneæ dedecore coniunctam esse, quippe qui non sine maximo ingrati animi crimine ab ea discessisse videatur. Hæc ingeniosus reprehensor; qui si suum exercere ingenium in excusando, quàm in maledicendo, maluisset, fortasse dixisset, illud epigramma Ausonij referri ad epigramma incerti auctoris, cuius ille sententiam conuertit, quodque legitur in quarto epigrammatum græcorum libro, vt auctoritas incerti auctoris, quàmuis Ausonio per iocum probata, præferri

ri auctoritati Virgilij non tam facile debeat, cum præsertim illud, quod ipse Virgilius scribit, verisimilius sit, tamquàm fragili fœminarum sexui accommodatius: atque, vt de origine, de conditoribus, de anno conditæ Carthaginis, mire variant scriptores, inter quos alios nominant, quàm Didonem, Eusebius in Chronicis, & Appianus in Libycis, sic, quibus temporibus fuerit Dido, adeo incertum fuisse, vt id tractare Virgilius sine vlla erroris nota arbitratu suo potuerit; vel rem talem à memoria hominum, maxime uulgarium, ad quos se accommodare poetæ debent, ita fuisse remotam, ut eam, quomodo libuerit, finxisse, magno errori tribuendum non sit: nec ullum ingrati animi crimen Aeneæ obijciendum esse, quem fatale erat Carthagine discedere; quique ut Iouis uoluntatem Mercurij uerbis expressam omnino exequeretur, non discedere nec poterat, nec debebat. Reliquum est, ut de descensu Aeneæ descripto lib. 6. Aeneidis aliquid dicamus; quod episodium, propter studium quoque Romanis gratificandi factum, idem aduersarius duobus modis reprehendit; primum quia de tali eius descensu nihil ante aut ex historia, aut ex fama apparuerit: deinde, quia Anchises uaticinari fictus sit cum proprijs eorum nominibus, qui de gente Troiana orituri erant, contra quàm uaticinationi conuenire uideatur, quæ propria exprimere nomina non solet, ut constat ex uaticinationibus sacræ scripturæ, & ex Alexandra Lycophronis. Qua in re Catullũ quoque reprehendit in Parcarum uaticinatione de Achillis ortu in Pelei, & Thetidis nuptijs, cuius uerba sunt;

Nascetur nobis expers terroris Achilles
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus,
Qui persæpe uago uictor certamine cursus,
Flammea præuertet celeris uestigia ceruæ.

Nos necesse non esse putamus, ut, quæ à poetis finguntur, prius aut ex historia, aut ex fama appareant, sed satis esse, ut ex rebus præteritis aliquod exemplum habeant, quemadmodum huiusmodi descensus probabilis fiebat ex ijs, quæ tum Orpheo, tum Polluci, & Castori, tum Theseo, & Pirithoo, tum Herculi euenerunt, de quibus sic Aeneas loqui ad Cumæam Sibyllam fingitur;

Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus
Threicia fretus cithara, fidibusque canoris;
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque uiam toties; quid Thesea? magnum
Quid memorem Alciden? & mi genus ab Ioue summo.

Nec

Nec dedecere arbitramur, vt illi, qui aliquid vaticinantur, etiam propria exprimant nomina, nec vllam caussam esse, cur ad naturam vaticinationis pertinere non possit, vt vel propria nomina ab illis exprimantur, à quibus sciri queunt, & certæ à vatibus personæ demonstrentur, quemadmodum in Oedipode Sophocleo Tiresias vates Laij demonstrat interfectorem, & Iocastæ adulterum, nempe ipsum Laij, & Iocastæ filium Oedipodem: vatum enim est non solum futura, sed etiam præterita, quæ obscura sunt, aperire, & quidem alterutro modo aperire, vel proprijs nominibus non expressis, vel expressis: nam vterque modus in eo probabilis est, qui diuino spiritu afflatus sit. Nunc ad Aristotelem reuertamur.

XII.

FABVLAM ADMIRABILEM esse oportere.

TRia postea præcipit, primum Fabulam Tragicam admirabilem esse: deinde, quæ sint admirabiliora: postremo quæ maxime admirabilia.

Probat fabulæ Tragicæ admirationem in hunc modum; Imitatio terribilium, & miserabilium est admirabilis. Atqui fabula Tragica est imitatio terribilium, & miserabilium. Ergo admirabilis. Sunt autem terribilia, quæ terrorem inijciunt ex eo, quòd magnam vim habeant interimendi, vel magnas molestias afferendi, vt incendia, eluuiones, vulnera capitalia, cędes. Miserabilia vero, quæ misericordiam mouēt ex eo, quia sint valde molesta, & tristia, vt mortes, corporum cruciatus, morbi. Ac distinguitur miserabile ab atroci lib. 2. Rhet. quia miserabile spectatur in ijs, qui sanguinis necessitudine valde coniuncti non sunt, et lachrymas ciet, vt cum Amasis Rex Aegypti, aut, quemadmodum scribit Herodotus, Psammenitus Amasis filius in casu mendicantis amici lachrymas effudit. Atrox vero cernitur in ijs, qui valde coniuncti sunt, & lachrymas non mouet, vt cum idem in casu filij, qui ad mortem perducebatur,

batur, lachrymas non emisit. cuius rei interroganti caussam Cambysi Persarum Regi, qui eum ceperat, regnoque spoliauerat, respondit, O fili Cyri, mea domestica mala multo erant maiora, quàm vt ea deflere possem: at vero amici fortuna digna lachrymis fuit, qui in extremo senectutis limine ex plurimis opibus ad summam redactus est inopiam.

Terribilia autem, & miserabilia committunt homines duobus modis; aut vbi consilium adhibent fugiendi mali, & tamen in illud incurrunt, in rebus ita inter se nexis, vt altera alterius caussa esse videatur, quemadmodum cum Oedipus putans se fugere cędem patris, & congressum matris Corintho discessit, & tamen ob talem discessum Laium patrem occidit, atque ob talem cędem Iocastam matrem vxorem duxit; qui modus admirabilior est, & minus esse à casu, ac fortuna existimatur: aut, vbi consilium non adhibent fugiendi mali, & in illud incidunt, vt cum filius feram vulnerare volens, patrem interficit; qui modus minus admirabilis est, magisque esse à casu, & fortuna putatur. Ergo admirabiliora sunt, quæ adhibito consilio vitandi mali fiunt præter opinionem inter se: minus vero admirabilia, quæ non adhibito consilio vitandi mali fiunt à casu, & fortunā.

Ex ijs vero, quæ sunt à fortuna, illa maxime admirabilia videntur, quę cunque tamquam ex industria videntur facta fuisse, quemadmodum cum statua Mityi Argis interfecit eum, qui fuit caussa interitus Mityi, incidens in eius caput, dum ipse spectaret. Ac admiratio quidem oritur quattuor modis; aut propter res sensu carentes, vt propter hāc statuam Mityi, quam commemorat Aristoteles, & propter columnam illius tumuli, in quo erat nouercæ cadauer, in caput priuigni lapsam, qua de re cum epigrāma fecisset Callimachus, cecinit denique;

Priuigni,
Nouercæ exanimem vel tumulum fugite:

aut propter animalia ratione carentia, vt propter bucephalum, equum Alexandri, qui vbi ornatus, armatusque erat ad prælium, haud unquam inscendi se se ab alio, nisi à Rege passus est, vt lib. 5. cap. 2. scripsit Gellius; & propter equum Seianum, qui tali fuit fato, vt quisquis eum haberet, periret, quod contigit Cn. Seio, Cornelio Dolabellæ, C. Cassio, M. Antonio, ita vt prouerbium de hominibus calamitosis ortum sit, Ille habet equum Seianum, quod scriptum reliquit idem Gellius li. 3. c. 9. aut propter homines agentes ex proposito, vt cum quis occidit eum, qui inimicus non habeatur, vel qui amicus esse existimetur; aut propter homines

mines agentes ex eo, quod accidit, vt cum Oedipus Corintho discessit, ne patrem occideret, & matrem incestaret, & tamen accidit, vt ob talem discessum patrem occiderit, & matrem incestauerit.

XIII.

FABVLAM ESSE VEL simplicem vel implexam.

DOcet quoque fabulam aut simplicem, aut implexam esse, cum alibi affirmet magis implexam, quàm simplicem esse oportere. Declarat, quæ sit simplex. Explanat quæ implexa. Exponit in fabula implexa quid sit peripetia. denique explicat, quid agnitio.

Fabularum igitur aliæ sunt simplices, aliæ implexæ, quia fabulæ sunt imitationes actionũ, & actiones aut sunt simplices, aut implexæ. supra obseruauimus simplicem fabulam accipi tribus modis, aut quatenus distinguitur ab ea descriptione, quæ non vnam, sed multas actiones describit: aut quatenus seiungitur ab implexa: aut quatenus differt à duplici : Iam actio imitatione expressa aut simplex est, aut implexa. ergo etiam fabula imitatione exprimens. Simplex fabula, vel fabulæ actio est, quæ cum sit continua, & vna, transitum facit, & progressum sine peripetia, & agnitione. hic enim transitus significat progressum actionis, non mutationem fortunæ, quam simplex fabula non habet: composita enim est ex vna tantummodo materia, vel ex sola felicitate, vel ex sola miseria, ita vt vnus fortunæ tenor à principio ad finem perpetuo seruetur; cuiusmodi esse Aeschyli Prometheum alibi aperuimus. Implexa est, quæ transitum facit cum agnitione, aut peripetia, aut vtraque; vbi transitus est non solum progressus actionis, sed mutatio etiam fortunæ: implexa enim fabula conflata est ex duplici materia, vel ex prospera, & aduersa fortuna, vel contra. Agnitio vero, & peripetia oriri debent ex ipsa rerum serie, & ex ordine necessario, aut verisimili, ita vt fiant non solum post anteacta, sed etiam propter anteacta aut ex necessitate, aut ex verisimilitudine. Differt enim multum, vtrum

hęc

hæc propter hæc, an post hæc fiant. Nam aliqua fiunt propter aliqua, quæ nexum inter se ita habent, vt antecedentia sint consequentium caussæ: quędam vero fiunt tantum post quædam, quæ nexum inter se non habent, nec à se inuicem pendent. Peripetia est eorum, quæ aguntur, in contrarium mutatio, & omnino contrarius effectus eius rei, quæ in animo habetur. Exēpli gratia Corinthius nuncius, qui Oedipodem à Corinthijs post Polybi mortem fuisse Regem designatum nuntiauerat, Oedipodi lætitiam afferre volebat, eum ex Polybo, & Merope ortum non esse narrans, sed inuentum in syluis, eis donatum esse: & molestiam attulit, aperiens eo modo, eum fuisse filium Laij, quem interfecerat, & Iocastæ, quam incestauerat; dumque vellet eundem metu liberare, dicens ipsi timendum non esse, vt timebat, ne cum Merope matre rem haberet, quia Merope eius mater nō erat, maiori metu affecit, ne verum esset illud, quod à Tiresia audiuerat, se natum esse ex ea, ex qua iam filios procreauerat, Iocasta. Danaus autem Pater Hypermnestræ interficere Lynceum maritum eius volebat, qui solus ab ea ex maritis quinquaginta Danaidum seruatus erat: & interfectus est.

Agnitio est ex ignoratione in cognitionem mutatio, de qua Aristoteles sex præcepta tradit, quorum primum est, agnitionem personarum aut esse ad amicitiam, vt Iphigeniæ, & Orestis: aut ad inimicitiam, & odium, vt Oedipodis, & Iocastę. Alterum est, agnitionem fieri aut cum peripetia, cum ipsa agnitio fortunæ efficit mutationem, vt Oedipodis, & Iocastæ ex prospera in aduersam fortunam, & Orestis, ac Iphigeniæ ex aduersa in prosperam: aut sine peripetia, cum agnitio non efficit mutationem fortunæ, vt Orestis, & Electræ; pulcherrimam autem esse, quæ cum peripetia fit. Tertium est, quandoque agnitionem ad res inanimatas pertinere, vt ad statuam Mityi, & ad columnam tumuli nouercalis; de quibus supra, & ad fulmen, quo Capaneus Argiuus percussus est, dum deos in Thebarum obsidione contemneret, & ad annulum allatum Polycrati Samiorum Regi per piscem. Quartum est, aut agnosci, quod factum est, ut ab Aeolo incestum Canacis, & Macarei, aut quod factum non est, ut à Theseo congressum Hippolyti cum Phædra. Quinctum est, maxime pertinere ad fabulam, & ad actionem fabulæ, agnitionem personarum cum peripetia: talem enim agnitionem, & peripetiam habere misericordiam, & metum, qualium actionum Tragœdia supponitur imitatio: & aduersa fortuna vti, & prospera in talibus contingere. Sextum, agnitionem fieri aut vnius personæ, cum vna persona agnoscit, altera non agnoscit,

vt

vt cum Vlyssem nutrix non agnoscit, nutricem Vlysses agnoscit: aut duarum personarum, cum vtrique persona agnitione opus est, vt apud Euripidem in Tauris Iphigenia ex litterarum missione ab Oreste agnita est: Orestes vero ex contexta ueste ab Iphigenia. Itaque ex ijs, quæ superius explicata sunt, sequens describi potest diuisio.

Agnitio est.

- *aut apparens*
  - *tum quæ pertinet ad inanimata*
  - *tum quæ eius est, quod factum non est*
- *aut uera*
  - *tum facti*
  - *tum personarum*
    - *partim ad amorem*
    - *partim ad odium*
      - *vel cum peripetia*
      - *vel sine peripetia*
        - *aut vnius*
        - *aut plurium*

XIIII.

FABVLAM OPORTERE perpessionem habere.

Ddit circa hæc, id est, misericordiam, & metum, uersari duas partes, peripetiam, & agnitionem. Tertiam vero esse perpessionem. Itaque, cum peripetia, & agnitio expositæ sint, reliquum esse, vt de perpessione agatur. Tametsi enim hęc sit octaua proprietas fabulæ, earum scilicet, quæ ipsam pulchram reddunt; est tamen tertia earum, quæ metum, & misericordiam gignunt. Pathos autem est passio, quo vocabulo vsum esse Varronem, Charisius testatur: vel perpessio. Robortellus vertit perturbationem, & in eo valde laborat, vt probet, hanc suam perturbationem ad Tragœdiarum spectatores omnino pertinere, ac referri, qui aliena mala cogitantes perturbentur. Nos illis assentimur, qui putant, licet vox Pathos sępenumero perturbationem declaret, quæ moueri in auditoribus solet, ipsam tamen hoc in loco multo aliam vim habere: exprimere enim nobis non perturbationem ex alieno malo, sed ipsum malum, quod illi, qui à poetis inducuntur, perpessi sint, & illud tertium, quod in fabula mouet misericordiam, & metum; nec spectare ad spectatores, cum fabula tam late non pateat, vt spectatores quoque comprehendat, sed esse eorum, qui in fabula versantur, ad quos eosdem & peripetia, & agnitio spectant. Definit perpessionem, vt sit actio habens vim interimendi, aut graues dolores afferendi, vt in manifesto mortes, & eiulationes, & vulnerationes, & quęcunque talia. Quæritur autem, quas Aristoteles intelligat, In manifesto mortes. Cuius rei multæ sunt explicationes. Quidam putant significari neces, quæ coram populo in scena fiunt, vt sint terribiliores, & miserabiliores, quàm si narrentur, iuxta illud Horatij;

> Segnius irritant animos demissa per aurem,
> Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
> Ipse sibi tradit spectator.

Laudant ergo ex hoc loco, vt neces in scena fiant, vt apud Senecam Me-

dea

dea filios, quos ex Iasone progenuerat, spectantibus omnibus trucidat. Quod tamen minime probatur; primum quia id raro à poetis fictum est. Deinde, quia id reprehensum est ab Horatio in hunc modum;

Non tamen intus
Digna geri promes in scenam, multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens,
Nec pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in auem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Præterea, quia ne id quidem laudatum est ab Aristotele, qui infra ait; Ac licet quidem terribile, & miserabile ex apparatu fieri: licet vero etiã ex ipsa constitutione. id quod prius est, & poetæ melioris, postremo quia id aut nullo satis probabili modo, aut vix, magnoque cum sumptu, & incommodo posse effici videtur. Madius scribit, mentem Aristotelis non fuisse, vt faciendas esse neces in scena traderet, sed tantum, vt declararet, quid per pathos possit intelligi, etiam si illæ mortes in scena habitæ non admodum ipsi probari videantur. Hoc nos vix credere possumus, vt in fabula Tragica declaranda Aristoteles exemplum afferat, quod ipsi fabulæ minime seruiat. Alij interpretantur, Mortes in manifesto illas esse, quæ manifestę fiunt corporibus mortuis in publicum latis, ut in Supplicibus Euripidis, aut etiam morientibus, vt corpore Hippolyti apud eundem Euripidem in Hippolyto. Quidam explicant, illas significari, quæ notæ fiunt vocibus illorum, qui domi moriuntur, ita ut ipsorum lamentationes publice audiantur, quemadmodum Sophocles Clytęmnestram in Electra clã mantem inducit, cum eam Orestes vulneribus conficit, ita vt longißime exaudiatur. ubi interpres sic rem perpendit; In more positum est, vt intus gesta nuncij foras nuncient. quod hic non fecit Sophocles, quia clarius res explicatur, quàm si à nuncio referatur. Nonnulli existimant denotari mortes, quæ illustri alicuius narratione spectatorum oculis subijciuntur. quod plerunque fit in Tragœdijs. Casteluetrius ait, se explicaturum fuisse mortes illustres, & historia, aut fama notas, ut Clytęmnestræ, Aiacis, Herculis, & similium, nisi Aristoteles in Tragœdias etiam euentus nouos, nec ex fama, aut ex historia apparentes reciperet. Itaque alio modo explicat, vt significentur mortes, quæ longinquæ non sint, sed propinquæ ita, vt appareant. Nos in tanta explicationum multitudine intelligimus per mortes in manifesto, mortes quo-

modolibet manifestas, dummodo in scena manifestæ non fiant: Quod minus probatum esse, superius obseruauimus.

Atque hæc de octo fabulæ proprietatibus satis sint.

XV.

QVAS PARTES QVANTITATIS habeat fabula Tragica.

SEcundum quantitatem, inquit Aristoteles, & in quas Tragœdia diuiditur separatas, hæ sunt partes, Prologus, Episodium, Exodus, Choricum. Libro autem tertio Rhet. traditum est differre Prologum à Proaulio, & proœmio, quòd proœmium sit solutæ orationis, Proaulium Aulesis, Prologus Poesis. & inferius scriptum est, proœmia iudicialia idem valere, quod valent dramatum prologi, et Epicorum proœmia, vbi minus proprie nominantur Epicorum proœmia, quæ proprie sunt solutæ orationis. Et quæ Dithyramborum sunt principia, similia esse proœmijs demonstratiuis. In logis autem, & epicis esse specimen orationis, vt prouideant, qua de re sit oratio, & animus suspensus non sit, nec vagetur propter infinitatem, sed detur principium, tamquàm in manum, ita vt animus hærēs sequatur orationem. Cumque in Epicis statim res indicetur, Tragicos quoque indicare in dramate, quamuis non statim, vt Euripidem, sed in prologo tamen indicare, vt etiam Sophoclem ibi; Mihi pater fuit Polybus. Et Comœdiam similiter. Cum autem prologus definiatur, vt sit pars integra Tragœdiæ ante chori Parodum, id est, antequàm primum adueniat chorus, & sic totus primus actus; cogitandum est, quomodo appelletur prologus ille locus Sophoclis, qui est in tertio actu. quod Victorius tribuit errato memoriæ in hunc modum; Id mihi scrupulum nō paruum affert, quòd explicatio hęc generis, fortunarumq́ue Oedipodis extra prologum à Sophocle inducitur: in tertio. n. actu Tragędiæ posita est. Quare vereor, ne μνημονικὸν ἁμάρτημα sit. Hæc ille. sed ut à turpi errato defendatur Aristoteles

les, considerandum est, an nomine prologi quodlibet argumentum, & breuis rei complexio, atque narratio intelligi queat. Nam, quemadmodum proœmium, ut supra notatum est, accipitur proprie, & cōmuniter: sic, cū proprie prologus sit totus primus actus Tragœdiæ, vel Comœdiæ, fortasse cōiter est quælibet præfatio, & breuis facti enarratio, etiam in alijs acti bus habita. Quod si recipiatur, sensus erit verborum Aristotelis, vt differentia ostendatur inter Poema Epicum, & Dramaticum, quòd Epopœia statim in principio exponit argumentum: Tragœdia vero, itidemque Comœdia, non statim, sed vbi occasio oblata sit, non solum in primo actu, qui proprie dicitur prologus, sed etiam in alijs, vbi prologus communiter acceptus potest esse, quemadmodum apud Sophoclem in tertio actu inducitur Oedipus veluti prologum quendam facere, breuiterque narrare, primum se habitum fuisse filium Polybi, Corinthiorum Regis, & Meropes Reginæ: deinde à quodam ebrio sibi ea de re quandam iniectam esse suspicionem: postea iuisse se ad oraculum Apollinis, ac infelix responsum de cęde patris, ac incestu matris tulisse: inde, ne illa scelera perpetraret, Corinthiam terram fugisse, in terram Phocidem venisse, in triplici via senem quendam cum comitibus interfecisse. Cum autem principia dramatum, & Epicorum sint similia proœmijs iudicialibus, quorum duplex est munus, vnum maxime necessarium, & proprium, indicare finem, cuius caussa oratio instituta est, alterum tamquàm medicamentum, & commune quiddam, parare animos auditorum; Epopœia non solum rem pertractandam proponit, sed etiam animos parat per inuocationem alicuius numinis, qua poeta tum beneuolos reddit auditores, modestiam exprimens suam, & se oneri suscepto imparem esse ostendens, nisi diuinitus adiuuetur, tum attentos facit, auctoritatem afferens operi suo ex rei magnitudine, cuius pertractatio humanas vires superare, & diuinam postulare opem videatur. Sed diuersa Græcorum poetarum, & Latinorum fuit consuetudo. Cum enim illi ab inuocatione incipere, & simul propositionem addere soliti sint, vt Homerus fecit, exorsus Iliada sic, Iram Diua cane, & Odysseam sic, Dic mihi Musa virum: hi primum proponere, & postea inuocare consueuernnt, vt Virgilius in Georgicis primum proposuit, Quid faciat lætas segetes: deinde inuocauit, Vos, ô clarissima mundi Lumina. & in Æneide primum; Arma, virumque cano: postea, Musa mihi caussas memora: Atcumque tamen fiat, cauendum est, ne turgida, atque inflata sit propositio, de quo vitio sic scripsit Horatius;

Nec

Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim,
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte;
Dic mihi Musa uirum, captæ post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum uidit, & urbes.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat
Antiphatem, Scyllamque, & cum Cyclope charybdim.

Ac poetæ quidem Epici, ut diximus, tum inuocare, tum proponere consueuerunt: Dramatici uero cum ex sua persona nihil dicant, non inuocant: at parare animos possunt per aliquam personam à præcipua actione separatam, quæ fabulam, uel poetam commendet, atque aduersariorum maledictis pro poeta respondeat, ut fit in prologis Terentij. Quod prologorum genus, non uidemus, cur, etiam reclamantibus ceteris, conuenire Tragœdiæ non possit. propositio autem præcipuæ actionis duobus fieri modis solet; aut per prologum separatum: aut per prologum coniunctum. prima species propositionis Tragœdię non conuenit propter eius materiam ex personarum notam conditione: secunda conuenit, nempe per prologum cõiunctum, qui totum primum actum comprehendit. post definitionem prologi definitur Episodium, ut sit pars integra Tragœdiæ interiecta inter choricos cantus, id est, secundus, tertius, & quartus actus. Tum exodus, ut sit pars integra Tragœdiæ, post quam non est chori cantus, id est, quintus actus. postremo, cum chorici duæ sint partes, una parodus, altera stasimum, definitur parodus, ut sit prima dictio integri chori, cum anapesto, & trochęo, pedibus ut notauit Madius, saltationi maxime accommodatis, idest, pars interiecta inter prologum, & episodium secundi actus: definitur quoque stasimum, ut sit cantus chori sine anapęsto, & trocheo, & hoc modo sine saltatione, id est, pars interiecta tum inter episodium secundi actus, & episodium tertij actus, tum inter episodium tertij actus, & episodium quarti actus, tum inter episodium quarti actus, & exodum. Atque hæ omnes partes quantitatis sunt communes omnibus partibus qualitatis: quædam uero sunt propriæ apparatus, ut inter ceteras commus, idest, lamentatio communis chori, & à scena, & non solum totius chori, sed etiam totius scenæ, & omnium imitatorum, qui sunt in scena. Tragœdia igitur habet nouem partes

tes

tes quantitatis, quarum prima est prologus: secunda parodus: tertia episodium primum: quarta stasimum primum: quincta episodium secundum: sexta stasimum secundum: septima episodium tertium: octaua stasimum tertium: nona exodus. Cum autem adhuc, quas partes qualitatis, & quas etiam quantitatis habeat Tragœdia, explicatum sit, proponitur explicandum, quæ oporteat spectare, & quæ cauere eos, qui fabulas constituunt, et unde sit Tragœdiæ opus, idest, uis ipsius Tragœdiæ in concitando metu, & misericordia, ac perturbationibus per ipsas perturbationes perpurgandis.

XVI.

DE CONSTITVTIONE pulcherrimæ Tragœdiæ.

IAm, vt pulcherrima constituatur Tragœdia, quattuor in primis obseruanda sunt, quænam sint proprietates personæ Tragicæ ad concitandam misericordiam, & metum accommodatæ: quę propria Tragœdiæ voluptas: quæ res atroces ad mouendum metum, & misericordiam idoneæ: qui gradus Tragœdiæ constituendæ.

Ac in persona quidem Tragica sex præcipua spectari debent.

Primum, vt fabulam reddat non simplicem ex simplici vel felicitate, vel miseria compositam, sed nexam duplici fortuna, ita vt ex prospera in aduersam, vel contra fiat mutatio. Tametsi enim quandoque simplex est fabula, vt Prometheus Aeschyli: tamen melius est, vt implexa conficiatur, qualis est Oedipus Tyrannus Sophoclis.

Alterum est, vt sit mediocris probitatis, & improbitatis. Quattuor enim commemorantur genera personarum. Nam quædam sunt valde probæ, quæ ex prospera in aduersam fortunam mutantur. Atque hę Tragœdijs non cōgruunt, quia talis earum mutatio non est terribilis, nec miserabilis,

bilis, sed scelerata. Aliæ sunt valde improbæ, quæ ab infortunio ad fortunæ transeunt prosperitatem. Ac ne hæ quidem Tragœdijs conueniunt, quia huiusmodi transitus maxime omnium à materia Tragica alienus est, quippe qui nihil habeat eorum, quæ oportet, nec sit gratus hominibus, nec miserabilis, nec terribilis. Quædam valde improbæ, quæ ex felicitate in miseriam cadunt. Atque hæ quoque à materia Tragica reijciuntur, propterea quòd, quamuis talis casus sit gratus hominibus, tamen neque misericordiam habet, neque terrorem: misericordia enim est erga eum, qui indigne aduersa fortuna vtatur: terror uero, & metus erga similem. Quare Aristoteles lib. 2. Rhetoricæ tradit, moueri metum, si similes patiantur, aut passi sint, & ab ijs, à quibus non arbitrabantur, & ea, quæ non arbitrabantur, & tunc, cum minime arbitrabantur. Aliæ sunt inter superiores personas interiectę, id est, mediocris probitatis, atque improbitatis. Et hę sunt ad Tragœdias maxime accommodatæ. Ex quo Aristotelis præcepto facile perspicitur, in constitutione fabulæ Tragicæ, spectanda esse, quæ non sunt scelerata, sed grata hominibus, & ad humanam societatem conducentia, & terribilia, ac miserabilia. Tertium est, vt neque virtute præstet, & iustitia, neque propter vitium, & prauitatem mutetur in aduersam fortunam (id enim miserabile non esset) sed propter errorem aliquem, vt Oedipus, & Thyestes. Quartum, vt sit ex ijs personis, quæ viuunt in magna existimatione, & fortunæ prosperitate, cuiusmodi Oedipus, & Thyestes, & qui ex talibus familijs illustres uiri sunt. Fabula Oedipodis nota est, itemque Thyestis, cui Tantalus filius ab Atreo est appositus comedendus. Quinctum, vt cum alijs personis efficiat fabulam magis simplicem, quàm duplicem, id est, magis simplicem in eo, vt vnius, aut duarum personarum eiusdem qualitatis, & bonitatis ex prospera in aduersam fortunam mutatio exprimatur, quàm duplicem, quæ duo imitatur contraria genera personarum, vnum bonarum, alterum malarum, ita vt bonæ ex aduersa in prosperam fortunam, malæ contra mutentur. Non enim solum fabula debet esse potius implexa, quàm simplex, vt superius declaratum est, sed etiam potius simplex, quàm duplex, id est, composita potius ex simplici qualitate personarum, quàm ex duplici. Sextum, vt non in prosperam fortunam ex aduersa, sed contra ex prospera in aduersam mutetur, non propter improbitatem, sed propter errorem magnum, aut talis personæ, qualis dictum est, quæ sit mediocris probitatis, & improbitatis, aut melioris potius, quàm deterioris, vt magis in persona meliore, quàm peiore ex sententia Aristotelis peccandum esse videatur. Ac

requiri talem mutationē ex poetarum probatur consuetudine, cũ, qui eam ad Tragœdiarum constitutiones maxime accommodatam in paucis famílijs obseruauerint, de illis tantum pulcherrimas Tragœdias composuerũt; vt de Alcmęone, Eriphyles, & Amphiarai filio, qui matrem interemit, quòd ea Amphiaraum idcirco abditum, ne ad expeditionem Thebanam proficisceretur, in qua ab oraculo acceperat, se terra absorptum iri, prodidisset; & ob id in furorem versus est. De Oedipode, qui Laium patrem occidit, ac cum Iocasta matre rem habuit, sibique post agnitionem oculos eruit, vt superius quoque expositum est. De Oreste, qui Aegisthum adulterum, cum matre Clytęmnestra interfecit, ac furiosus factus est. De Meleagro, qui, cum Toxeum, & Plexippum auunculos suos necasset, maxime conquerentes, quòd spolia apri interfecti Atalantæ donasset; exusto fatali stipite ab Althea matre consumptus est. De Thyeste, cui Tantalũ filium ab Atreo fratre fuisse appositum comedendum, modo diximus. De Telepho, Rege Mysorum, ad maximam inopiam redacto. Et similiter de alijs familijs, quibus aut atrocia pati, aut facere contigit. Ac secundum artem quidem pulcherrima est Tragœdia ex hac constitutione, quæ mutationem ex prospera fortuna in aduersam habeat. Quamobrem, cum idcirco Euripides reprehensus sit, quòd talem mutationem ín multis suis Tragœdijs expresserit, tantum abest, vt ex sententia Aristotelis merito reprehensus esse videatur, vt potius ob id sit maxime laudandus, propterea quòd id rectum esse, & in eo Tragœdiæ virtutem consistere, ipse putet. Quod etiam ex eo dicit constare, quia in scenis, & certaminibus tales maxime apparent Tragicæ, si recte dirigantur. Itaque illud conficit, vt Euripides in alijs errauerit, eum certe in hoc non errasse. Quoniam autem superius duplicis fabulæ mentio facta est, idcirco eam esse duplicem declarat, quæ duplicem habet constitutionem, vt Odyssea, & desinit ex contrarietate, melioribus, & peioribus. In Odyssea enim duplex qualitas personarum spectatur, bonarum, & malarum. Nam boni sunt Vlysses, & Telemachus: mali vero proci, & ancillæ. Atque illis prospera fortuna in fine est: his autem aduersa. Citat Odysseam in materia fabulæ Tragicæ, quia exemplum Epopœiæ seruit Tragœdiæ, & è conuerso. Nec Odyssea est nomen Tragœdiæ, vt falso putauit Madius. In eo enim solo adducit auctoritatem Odysseæ Homeri, quòd duplicem habeat materiam personarum. Nec, cum commemorat theatrum, & reconciliatam Aegisthi, & Orestis amicitiam, respicit Odysseam, quo argumento ille significari aliam Odysseam, quàm Homeri, arbitratus est,

sed eas Tragœdias, quæ duplicem habebāt constitutionē, vt ipsa Odyssea. Errauit etiam, vt alij quoque notarunt, quòd locum non intelligens ita corrigere conatus est; Et definit ex contrarietate melioribus: & peioribus videtur quidem esse prima, *referens illam vocem*, peioribus, *ad poetas peiores. Atque hæc fabulæ constitutio duplex, quæ ex sententia Aristotelis secunda est, quibusdam videtur prima esse propter populum, qui diuersa personarum qualitate, & diuersis finibus oblectatur. Non est tamen ita: sed conuenit magis Epopœiæ. Cum autem talis constitutio in nonnullis personis lętum finem habeat, huiusmodi voluptas Tragœdiæ propria non est, sed magis Comœdiæ, in qua etiam qui inimicissimi sunt, amici fiunt, vt Orestes, & Aegisthus. Quærendum igitur secundo loco est, quæ Tragœdiæ sit propria voluptas.*

Itaque tradit Aristoteles illam esse huius Poesis propriam voluptatem, quæ magis ex ipsa rerum constitutione, quàm ex apparatu oritur, tunc, cum perturbationum fieri potest purgatio per perturbationes, vt misericordiæ, & metus, per misericordiam, & metum, id est, per consuetudinem misericordiæ, & metus; ac spectatores ex alterius miseria iniuste exorta molestiam capientes se bonos agnoscere, ac in rebus humanis spem ponendam non esse, discere facile queunt. Iam, cum terribile, & miserabile duobus modis possit apparere, tum ex apparatu, tum ex ipsa constitutione, hunc secundum modum dicit esse præstantiorem, et poetæ melioris: oportere enim etiam sine apparatu fabulam sic constitutam esse, vt audiens, res, quæ fiunt, & horreat, & misereatur, ex ijs quæ contingunt, in easque perturbationes casurum esse illum, qui Oedipodem Tyrannum Sophoclis audiuerit, aut legerit: primum vero modum esse magis artificij expertem, & sumptus requirere; quique non solum terribile propter apparatum, sed etiam monstruosum efficiunt, vt Aeschylus in Prometheo, qui difficulter in monte Caucaso repręsentatur, & idem in Eumenidibus, quæ apparere inusitata facie, & monstruosa debent, eos nihil commune habere cum Tragœdia. Non enim omnem in Tragœdia oportere voluptatem quærere, sed propriam; &, quoniā ex misericordia, & metu per imitationem poetam efficere oportet voluptatem, id in rebus efficiendum esse. Corrigit Madius; In actionibus. *Sed in eo corrigendo ridiculus est, quòd correctione non indiget, vt alij quoque notarunt. Tradit enim Aristoteles, non ex apparatu petendam esse voluptatem, sed in rebus ipsis, id est, rerum ipsarum constitutione illam esse in spectatorum animos inducendam. Cum autem de pulcherrima Tragœdia duo adhuc explicata sint: persona*

sona Tragica, & propria Tragœdiæ voluptas, quoniam huiusmodi voluptas ex constitutione rerum atrocium, & miserabilium oritur, consequens est tertio loco, vt, quę'nam sint res illæ atroces, quæ mouent metum, & misericordiam, explicetur. Cum enim actiones, aut sint amicorum, aut inimicorum, aut eorum, qui nec amici, nec inimici inter se sunt; inimicorum non sunt misericordia dignæ, nisi forte ratione necis, vel vulnerum. Id enim significat Aristoteles, cum ait; Si inimicus inimicum occiderit, nihil miserabile, neque dum facit, neque dum facturus est, monstrat, præterquàm in illa ipsa perpeßione. Nec actiones neutrorum sunt miserabiles, nisi etiam ratione perpeßionis. Cum igitur nec actiones inimicorum, quatenus sunt inimici, nec neutrorum, quatenus nec amici, nec inimici, sint accommodatæ ad misericordiam commouendam; sequitur, vt idoneæ sint actiones amicorum, & sanguine inter se coniunctorum, quemadmodum cum in amicitijs sunt perpeßiones, & frater fratrem, aut filius patrem, aut mater filium, aut filius matrem occidit, aut occisurus fuit, aut tale aliquid aliud facit. Quarto loco enumerantur gradus Tragœdiæ constituendæ, vel in fabulis iam receptis, vel in nouis. Ac primum traditur, receptas fabulas non esse soluendas, quemadmodum, si quis fingeret, contra quàm receptum est, Clytęmnestram non fuisse ab Oreste occisam, nec Eriphylen ab Alcmęone. Itaque receptis fabulis vtendum esse: aut nouas inueniendas, Qua de re sic quoque scripsit Horatius;

Aut famam sequere, aut sibi conuenientia finge.

Ac meliores quidem constituendæ Tragœdiæ gradus sunt tres, simpliciter autem quattuor. primus gradus est, cum scientes faciunt, ut Medea sciens interficit filios apud Euripidem. Secundus est, cum ignorantes faciunt, vt Oedipus Sophoclis; idque aut extra actionem, scilicet præcipuam, vno Solis ambitu comprehensam, vel paullisper variantem, vt cędes Laij, & incestus Iocastæ: aut in Tragœdia, & in ipsa actione præcipua, vt apud Astydamantem Alcmęon ignorans occidit matrem, statimque agnouit; & Telegonus filius Vlyßis, & Circes, à matre Ithacam missus quæsitum patrem suum, ignorans cum Vlysse, & Telemacho pugnauit, eumque uulneratum agnouit, in Tragœdia, quę inscripta erat Vlysses vulneratus. Tertius est, cum ignorantes facturi sunt, sed priusquàm faciant, agnoscunt; vt Iphigenia in Tauris inibi fuit, vt Orestem fratrem interficeret, non tamen interfecit. Atque hic est ille gradus, qui ceteris ab Aristotele præfertur. Quartus est, cum scientes non faciunt; qui ex omnium graduum breui enumeratione colligitur habita illis verbis; Aut

enim facere necesse est, aut non: & scientes, aut non scientes. Ac quartus quidem gradus horum pessimus dicitur, cum quis sciens facturus fuit, aliqua tamen re impeditus non fecit. sceleratum enim habet, & non Tragicum. nam sine perpessione est. Quare nemo facit similiter, nisi raro, vt in Antigona Aemon occisurus fuit, & quidem sciens, Creontem patrem: sed propter eius fugam non occidit. is enim Antigonam uiuam iusserat sepeliri, quòd inhumatum fratrem Polinicem sepulturę mandasset; cumque ea de caussa ab Aemone interficiendus esset, de manib. eius aufugit. Qui vero gradus supra est nominatus primus, hic uocatur secundus: propterea quòd à minus dignis ad digniores fit progresßio. primus enim, & minus dignus, est scientem non fecisse: secundus, & dignior scientem fecisse. Et melior appellatur, qui superius numeratus est secundus, non scientem fecisse: sceleratum enim non adest, & agnitio stuporem gignit. Optimus vero, qui supra erat tertius, non scientem non fecisse, cuius tria afferuntur exempla, in Cresphonte Merope interfectura filium, in Iphigenia soror occisura fratrem, in Helle filius dediturus matrem. Ac Poliphon quidem cum Cresphontem Regem, ac filios eius præter vnum Telephontem occidisset, Messeniæ regnum cum Merope Regina occupauit, quæ clam filiũ in Aetoliam missum incolumem conseruauit. Poliphon, qui eum interficerent, maxima eis præmia proposuit. Quod cum Telephon iam grandior factus intellexisset, petitum illa uenit præmia, se illum Meropes filium simulans interfecisse. Iussus autem in aula permanere, donec rem illam Rex magis cognosceret, longo defessus itinere dormire cœpit. Eodem tempore nuncius Meropes nõ amplius eius filium in Aetolia esse nunciauit. Quam obrem ipsa maximo dolore affecta, & inflammato odio rapta, eum, qui dormiebat, tamquam filij, ut ipse profitebatur, interfectorem necare voluit, atque inibi fuit, vt eum necaret, ni à nuntio agnitus in maximo vitæ suæ discrimine seruatus esset, qui capto cum Regina consilio in sacrificio victimam percussurus Poliphontem percussit, vt scriptum reliquit Higinus. Quidam in verbis Aristotelis legunt, In Telophonte Merope. *Cum autem Agamemnon in Aulide ceruum Dianæ occidisset, & Diana ventorum flatus amouisset, ut Græci nauigare non possent, oraculo responsum est, Agamemnonio sanguine deam placandam esse. Cumque Iphigenia ea de caussa immolanda esset, cerua, Dianę miseratione, in locum ipsius supposita, ipsa in Tauricam regionem translata est, atque à Thoante Rege sacris eiusdem deę prefecta, quę humano fiebant sanguine. Orestes furijs agitatus propter Clytemnestram matrem interfectam, cum in Tauri-*

cà regione captus, & sacrificio propositus esset, vt immolaretur, ab Iphigenia sorore agnitus est, & liberatus. Ino uero filia Cadmi, & Harmoniæ cum Phryxum, & Hellen filios Nepheles, priuignos suos, tollere de medio uellet, mulieribus persuasit, ut omnia grana, quæ seminanda essent, torrerent, ne ullum ferre fructum possent. Cumque ob id summa annonæ caritas orta esset, Athamas Rex, nuncium ad Apollinem misit, vt, quid nã agendum esset, ab eo intelligeret. Ino mandauit nuncio, vt falsum responsum nunciaret, Ioui scilicet Phryxum esse sacrificandum. Id quod cum Rex se facturum negasset, Phryxus sponte se obtulit, vt patriam liberaret. Atque, cum immolandus esset, ferre tantam nuncius immanitatem non potuit, consiliumque Inonis Regi patefecit. Quo cognito, Rex Phryxo Inonem, & Melicertam filium dedit interficiendum. Bacchus vero pro Inone nutrice sua Nephelen supposuit; matremque suppositam Phryxus agnouit, eamque interfecturus non interfecit. Hæc sunt exempla eius gradus, qui in posteriore enumeratione quartus est, quique ab Aristotele ceteris omnibus gradibus prefertur. Quod tamen, tamquam contrarium superius traditis, is, qui se potius, vt ita dicamus; implicatorem Aristotelis, quàm explicatorem præbuit, Casteluetrius reprehendit. primum enim in declaratione primi gradus ait, si is est pessimus, quia non habet, vt dicitur, perpessionem, ne quartum quidem habere perpessionem, vt hac de caussa vel ipse reijciendus esse videatur.

Deinde agens de tertio, & quarto gradu inquit, superius illam Tragœdiæ constitutionem pulcherrimam appellari, quæ mutationem ex prospera fortuna in aduersam contineat, qua in re defensus est Euripides, & maxime laudatus: quartus vero gradus finem felicem esse. Præterea, cum Aristoteles eam probasset mutationem, quæ ab Euripide vsurpata est, eum subiunxisse, pulcherrimam agnitionem esse, cum simul peripetiæ fiunt, vt in Oedipode; atque hoc modo significasse, optimum esse, vt agnitio fiat cum mutatione felicitatis in miseriam, qualis sine dubio fuit illa Oedipodis: at in quarto gradu esse mutationem miseriæ in felicitatem. Postremo etiam ratione constare, non quartum tertio, sed tertium quarto esse anteferendum.

Etenim, tametsi pares sunt in vacuitate sceleris, cum tam in illo, quàm in hoc nullus voluntatis consensus, qui solus efficit scelus, ad peccandũ con feratur: tamen in perpeßione pares non sunt, cũ tertius habeat plenam, &

conſequentem perpeſſionem, quæ magis Tragica eſt, quartus vero non plenam, nec ad effectum perductam, quæ minus Tragica eſt. Quamobrem im merito hunc illi prætuliſſe Ariſtoteles videtur, aut quia eius, quod antea ſtatuiſſet; oblitus ſit, aut quia priorem opinionem depoſuerit, quam tamē deponere non debebat. Hæc ingenioſus reprehenſor, ſatis quidem probabiliter, ſed, vt arbitramur, falſo. Nam primus gradus reiectus eſt, non ſolum, quia careat perpeſſione, verum etiam quia ſceleratum exprimat, quod de quarto dici non poteſt. Duo igitur in illo damnantur; primū quòd ſceleratum habeat, deinde quòd non Tragicum habeat, ſcilicet ita, vt habere ſecundus, & quartus videntur. Etenim, vt ipſe quoque tradit Caſtel uetrius, in primo ſpectatur ſolum periculum; in ſecundo etiam effectus perpeſſionis. primus eſt terribilis, & miſerabilis in vna tantum perſona, quæ illud paſſura ſit, quod non debet, ab ea, à qua non debet; quartus in vtraque perſona, tum ea, quæ illud factura eſt, quòd non faceret, ſi cognoſceret eam, contra quam factura eſt, tum ea, quæ illud paſſura eſt, quod nō debet, ab ea ſimiliter, à qua non debet. Quare patet, cur primus ſit vitupe ratus, & non ſic ſecundus, etiam ſi ſceleratum habeat, & multo minus quartus, quod ſceleratum non habet. Quod ad alterum attinet argumentum, probauit quidem Ariſtoteles infelicem Tragædiæ finem, ſed in alijs gradibus, quos expreſſit Euripides, in quibus fieri mutatio tum ex aduerſa in proſperam fortunam, tum ex proſpera in aduerſam poterat, & ex Ariſtotelis ſentētia adhibere infelicem finem, quàm felicem melius fuit: non in quarto, quem ipſe parum ſeruauit Euripides; quique ſi adhibeatur, ceteris omnibus eſt anteponendus. Nam, quod tertio loco reprehenſor dicit, ſubiunxiſſe Ariſtotelem, pulcherrimam agnitionem eſſe, cum ſimul peripetiæ fiunt, vt in Oedipode; vt mittamus, non ſubiunxiſſe, ſed prius dixiſſe, cum ſcilicet de fabula implexa pertractaret (quod parum quidem intereſt, ſed in eo alicuius eſſe momenti videtur, qui dum præſtantiſſimum philoſophum obliuionis accuſat, ſe ipſum eſſe obliuioſum oſtendit) tametſi de pulcherrima agnitione exemplum attulit Oedipodis, qui ex proſpera in aduerſam fortunam mutatus eſt: tamen hoc tantum meo quidem iudicio ſibi voluit, vt declararet, eam eſſe agnitionem pulcherrimam, quę ſimul fieret cum mutatione, ſiue proſperæ in aduerſam, ſiue aduerſæ in proſperam fortunam, & exempli quidem gratia triſtem Oedipodis finem cōmemorauit, ſed non ob id lętum eſſe poſſe negauit, cum præſertim alibi inter optimas agnitiones poſuerit non ſolum illam, quàm fecit Oedipus ſine dubio triſtem, & infelicem, verum etiam illam, quam feciſſe dicitur Iphi

genia, lætam, & fortunatam. Quod ad vltimum attinet argumentum, longe alia nostra sententia est, gradum scilicet tertium & quartum non esse, vt ille affirmat, prorsus pares in sceleris vacuitate, sed esse, quod ille negat, in ratione perpessionis, quodammodo pares; nec illum huic, sed hunc illi esse omnino præferendum. Nam, cum Tragicum negocium sceleratum esse non debeat, sed gratum hominibus, & terribile, & miserabile, quamuis tertius habeat plenam, & consequentem perpessionem, quartus non plenam, nec ad effectum perductam, nihilominus in eo videntur pares, quòd in utroque ante finem Tragici negocij malum imminens est æque terribile, ac miserabile, post finem vero quartus quidem omnem terrorem, & misericordiam in solatium, & gaudium vertit, sed continet magis illud, quòd est gratum hominibus, vt scilicet in terribilibus, & miserabilibus periculis personæ incolumes conseruentur; & minus continet illud, quod sceleratum est. Quamquam enim philosophica ratione scelus non est, nisi cum uoluntatis in peccando adest consensus, tamen scelus quoque est, si nō verum, at saltem apparens, & ex communi quadam opinione, quam maxime spectat poeta, cum aliquod maximum, & grauissimum malum, non modo consulto, sed etiam per errorem committitur; cuiusmodi fuit factū Iocastæ, & Oedipodis, qui cum imprudenter errassent, se tamen tāquàm scelestos, & flagitiosos puniuisse finguntur. Cum igitur minus scelus existimetur, si effectus perpessionis non sequatur, quàm si sequatur; merito quartus gradus, qui ante finem Tragici negocij est ęque terribilis, & miserabilis, ac tertius, antelatus est tertio, tamquàm gratior hominibus, & minus quodammodo sceleratus. Nec fuit immemor Aristoteles, aut sibi parum constans, vt ab immemore, & audaci aduersario obiectum est, sed maxime memor, & cautus, etiamsi quandoque à nonnullis minus intelligi videatur. Illud conficitur in hac de pulcherrima constituenda Tragœdia disputatione, de multis familijs, quod superius quoque dicebatur, Tragœdias non esse, siquidem non ab arte, sed à fortuna id inuenerunt, vnde & metus, & misericordia comparari in fabulis posset. Quare poetæ quodammodo circa eiusmodi domos versari compelluntur.

XVII.

DE MORIBVS Tragicæ personæ.

AC cognouimus quidem personam Tragicam ad mouendam misericordiam & metum accommodatam, mediocris bonitatis esse oportere. At de eiusdem moribus quattuor in primis debemus obseruare, vt boni sint, vt conuenientes; vt similes, vt æquales. Primum igitur mores debent apparere boni. Cum autem mores sint, vt supra dictum est, tale quiddam, quod aperit prælectionem, qualis sit, Aristoteles ait, Mores apparituros esse, si oratio, aut actio manifestam efficiat prælectionem aliquam; malos quidem, si malam: bonos vero, si bonam. Atque hoc in vnoquoque genere spectari posse. Nam & in genere muliebri inueniri mulierem, quæ sit bonis moribus prædita: & in genere seruili reperiri seruũ, qui sit bonis moribus ornatus; etiam si fortaße mulier appellari deterior possit, si cum viris conferatur: & seruus omnino malus, si cum ingenuis comparetur. Mores præterea conuenientes sunt exprimendi. Etenim fortem, vel terribilem esse, inquit Aristoteles, virorum mos est, sed non conueniens mulieri. De morum conuenientia scripsit idem lib. 3. Rhet. & Horatius in arte Poetica. Mores enim conuenire oportet generi, & habitui. & per genus intelligitur, sexus, ætas, natio: per habitum conditio singularum personarum. Debent quoque exprimi mores similes. Quidã huiusmodi referunt similitudinem ad eos, de quibus alij scripserunt, vt mores tales exprimantur, quales ab alijs expreßi sunt. quod tradidit Horatius in hunc modum;

Honoratum si forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, inuictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.

Castelvetrius interpretatur mores illos, qui communiter moribus populi similes sunt, id est, mediocres. Cumque legatur ita; Tertium, quomodo sint similes: hoc enim aliud est ab eo, quod est bonos, & conuenientes mores facere, ut dictum est; *putat legendum illud per parenthesim;* Hoc enim aliud est, &c. *& refert illud,* Vt dictum est, *ad illud,* Quomodo sint similes; *ac intelligi vult illa verba, quæ sunt supra;* Misericordia est circa eum, qui indigne aduersa fortuna vtatur: Metus vero circa similem. *vnde collegit, personas Tragicas ex quibus non solum misericordia, sed etiam metus mouendus est, similes nobis esse oportere, & requiri illarũ mores, vt cõmunib. hominum morib. similes sint. Cui explicationi repugnare ipse Aristoteles videtur eo in loco, vbi agens de triplici materia personarum, meliorum, peiorum, similium, docet Tragœdiam imitari personas meliores, & non similes, ac segregat Tragœdiam à Comœdia his verbis; In eadem vero differentia & Tragœdia, & Comœdia separata est. hæc enim peiores: illa meliores imitari vult, quàm ij, qui nunc sunt. Hanc repugnantiam ipse quoque animaduertens Castelvetrius, Aristotelis verba ita explicat, vt dicat Tragœdiam quidem meliores, & Comœdiam peiores imitari velle, sed neutram id semper efficere, immo sępenumero imitari eos, qui nobis, aut præsentis ætatis hominibus similes sunt. Nos priorem explicationem duriusculam esse existimamus, cum præsertim Aristoteles in primo contextu appellauerit similes, non quales ab alijs imitatione expressi sint, sed quales nos sumus. Cum enim tradidisset imitationem fieri aut meliorum, aut peiorum quàm secundum nos, aut talium, postea pro talibus quales nos sumus, nominauit similes, quemadmodum cum dixit, Dionysium pinxisse similes, & Cleophonem imitatum esse similes; & significauit quoque similes, cum tradidit Tragœdiam imitari meliores, Comœdiam vero peiores, quàm sint ij, qui nunc sunt, idest, non imitari similes hominibus præsentis ætatis. Quę caussa est, cur huiusmodi explicationem minime sequamur. Quod attinet ad Castelvetrij interpretationem, cum dicat nusquàm supra declaratum esse, quomodo mores similes à moribus bonis, & conuenientibus seiungantur, id falsissimum esse arbitramur. Nam ex superiorib. apparet, quæ sint personę similes, id est, morib. similibus prędite, & paullo suprascriptum est, qui sint boni mores, & qui conuenientes. Sequitur, vt dictum sit, similium morum aliam esse consideratione, ac bonorum, & conuenientium, Itaq; illam parẽthesim facere, & referre illud, Vt dictũ est, quò vult Castelvetrius, non esse necessarium putamus. Cumque*

ex verbis supra positis colligat personas Tragicas similes nobis, & tales, quales communiter nunc sunt, id est, nec valde probas, nec valde improbas, sed mediocres, & mediocris probitatis, atque improbitatis, esse oportere; cui tamen rei repugnare ille locus videtur, vbi dicitur, Tragœdiam imitari velle meliores, Comœdiam peiores, quàm sint ij, qui nunc sunt, & hoc modo non similes nobis; eius solutionem ingeniosiorem, quàm veriorem esse censemus; & in hac maxima omnium, quæ in arte poetica sint, difficultate, cum cogitauerimus, an illi meliores, qui in Tragœdia exprimendi sunt, intelligi non virtute, sed statu debeant, vt quemadmodum in Poesi comica intelliguntur peiores non simpliciter, sed in eo vitij genere, quod mouet risum, sic in Tragica intelligendi sint non simpliciter, sed conditione meliores, & magis in excelso ætatem agentes, vt Reges, & Principes, qui tamen moribus sint similes nobis: hunc sensum repugnare animaduertimus illi præcepto Aristotelis, quo docemur, cũ Tragœdia sit meliorum imitatio, oportere poetas imitari bonos formarum fictores, vt quemadmodum hi, cum tribuant propriam formam, faciendo similes, pulchriores fingunt, sic illi spectent morum pulchritudinem, & virtutis exẽplum efficiant: & repugnare quoque illi loco, vbi dicitur Sophoclem finxisse non quales essent, sed quales esse oporteret. Tandem considerandum duximus, an recipi possit hæc explicatio, vt dicatur, Tragœdiam imitari meliores si non facto, at saltem animo. Nam si spectetur factum, imitari eos, qui neque virtute præstant, & iustitia, propterea quòd in maximis flagitijs, & sceleribus versari quodammodo videntur, nec vitio exuperant, & iniustitia, quia non agunt ex prælectione, sed per errorem, & hoc modo mediocres, & similes communi hominum statui, atque conditioni. Et, tametsi ipse præcipit Arist. metum versari circa similes, tamen ex eiusdem doctrina circa eos quoque esse, qui meliores sunt, & maiores: propterea quòd si maiores nobis passi sunt, multò verisimilius est nos esse passuros, vnde merito exoritur metus. Quod ponit Arist. lib. 2. Rhet. in ratione mouendi metus, aliquos scilicet pati posse, quia alij non solum similes, sed etiam maiores passi sint, aut patiantur. postremo debet esse morum æqualitas, vt persona Tragica, quemadmodum de ea, quæ noua formatur, scripsit Horatius;

Seruetur ad imum,
Qualis ab incœpto processerit, & sibi constet.

Addit Arist. tametsi inæqualis quidam est, qui præbet imitationem, & talibus moribus suppositus est: tamen æqualiter inæqualem esse oportere

tere, idest exempli gratia, si quis variam, & mutabilem fœminam sibi imitandam proposuerit, aut virum, qui modo harum, modo illarum partium sit, illam inæqualitatem æqualiter seruandam esse, & eam personã perpetuo introducendam, vt sibi non constet. Quo in loco mirantur quidam, & merito mirantur, histrionis à Robortello factam mẽtionem, quasi histrionem, non poetam formandum sibi susceperit Aristoteles, atque istius hominum generis gratia, diuina hæc præcepta collegerit, non ad poetam potius ipsum instituendum. Quattuor autem afferuntur exempla, vnum improborum morum non ex necessitate, nempe Menelaus in Oreste apud Euripidem: duo morum parum conuenientium, tum lamentatio Vlysfis in Scylla apud incertum auctorem, cui similis est lamentatio Aeneæ apud Virgilium libro primo Aeneidis, tum Menalippæ disputatio apud eundem Euripidem: morum minus similium nullum: morum inæqualium vnum, idest, Iphigenia in Aulide apud ipsum quoque Euripidem. Quod attinet ad primum, cum Orestem, & Pyladem, post Clytęmnestram occisam, inimice Tyndareus ipsius Clytęmnestrę pater persequeretur; ei, quem socerum habebat, propter Helenam vxorem, Menelaus contra fratris filium opitulatus est, & improbus fuit nõ ex necessitate. Hac de re sic scribit Franciscus Luisinus, eruditissimus Poeticæ Horatij explicator; Orestes in Oreste Euripidis, necata matre Clytęmnestra opem à patruo Menelao implorat. is opem non fert: immo matricidam increpat. hoc videtur exemplum esse miræ cuiusdam probitatis, qui ne fratris quidem filio, qui se matricidio inquinauerat, potuerit non aduersarius esse, cuius quasi indicium Dij immortales secuti Orestem furijs agitarunt. vnde Virgilius. Hinc Agamemnonius furijs agitatus Orestes. Sic defendit Luisinus Euripidem contra Aristotelem. Tamen non animaduertit, si fecisset id Menelaus propter miram probitatem, in eo quoque fuisse reprehendendum Euripidem, quòd personam valde probam, & hoc modo Tragœdię minime aptam, vt ex superioribus apparet, elegisset. Itaque dum ab vno vitio poetam defendit, alterum ei tribuit. Verum non est verisimile tantam in Menelao fuisse probitatem, vt nulla habita propinquitatis ratione fratris filium tamquàm sceleratum, & flagitiosum insectatus sit: sed potius, socero eum quàm fratris filio fauere maluisse. quod est exemplum improbitatis, vt recte indicauit Aristoteles, à qua sine dubio repugnante illi mediocri probitati, quę in persona Tragica inesse debet, vt eum amo nerent, se interfecturos esse Orestes, & Pylades eius vxorem Helenam, &

filiam Hermionem, minabantur. Vlysses autem, quod est primum exemplum morum non conuenientium, inter Scyllam, & Charybdim, valde lamentatus est, quòd sibi in mari moriendum esset; idque non apud Homerum, vt credidit Bartholomeus Lombardus, sed apud incertum auctorē; quemadmodum etiam Aeneas apud Virgilium lib. 1. Aeneidos fortasse minus congruenter fingitur conqueri, & lamentari, illis versibus;

Extemplo Aeneæ soluuntur frigore membra.
Ingemit, & duplices tendens ad sydera palmas
Talia voce refert; O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere. & quæ sequuntur.

In quem locum ita scribit Seruius; Frigore, id est, timore. Ingemit, non propter mortem, sed propter mortis genus. Nam, secundum Homerum, graue est perire naufragio. Nam anima ignea extingui videtur, vt Igneus est ollis vigor. Defendit igitur Seruius Virgilium, quòd finxerit Aeneā timentem non simpliciter mortem, sed genus mortis; quasi viro forti liceat timere mortem in mari. quod Aristoteli nequaquam probatur, qui lib. 3. Eth. tametsi scribit, virum fortem non versari circa omne genus mortis, quemadmodum in mari, & in morbis, sed circa mortem pulcherrimam, cuiusmodi est ea, quæ obitur in bello: tamen addit; Veruntamen & in mari, & in morbis sine timore est vir fortis. non sic autem, vt maritimi. Nam viri fortes desperant de salute, & mortem eiusmodi ęgre ferūt: maritimi vero bona spe sunt ob experientiam. simul autem fortes exercent fortitudinem in ijs, in quibus vires cernuntur, aut pulchrum est mori. At in eiusmodi generibus interitus neutrum est. Hæc ille, ex quibus apparet, cum fortes in mari quandoque desperent de salute, & mortem eiusmodi ægre ferant, propterea quòd ibi vires non cernantur, nec mori pulchrum sit; eos tamen non timere; vt difficulter defendi posse Virgilius videatur, qui Aeneam inducit membris frigore, & timore extemplo solutis, ingemere, & talia iactare, id est, vt Seruius quoque explicat, inaniter loqui. Alterum exemplum morum non conuenientium est Menalippe apud Euripidem. quæ minime versata in Philosophia, vti argumentis ex intima philosophia depromptis ficta est. Qua de re sic quoque Luisinus; Alterum crimen est de Menalippe, quam Euripides philosophorum more de natura disputantem induxit: videtur autem esse indecorum, fœminæ tam excellentem rerum cognitionem tribuere. sed excusari potest Euripides. nam decorum potius seruauit: Menalippen enim Neptunus erudierat.

rat. qui potuit igitur fœmina à tanto deo erudita non Cassandras, & Carmentas, Mutias, & Licinias, & Cornelias Romanas doctrina vincere? Dionysius Halicarnasseus in libris Rhetoricis sic inquit; Menalippe autem à Neptuno erudita fuit. Hæc ille. Quæ defensio tunc valeret, si eam sic eruditam fuisse, communiter apparuisset, ita vt persuadere sibi populus posset, eam contra communem fœminarum naturam doctam esse. sed vbi Euripides talem eruditionem à Neptuno profectam aperuit? vnde populus potuit id cognoscere? An vero, quia id Dionysius tradidit, idcirco communiter à populo cognoscebatur, & probabile omnibus aut plurimis erat? Recte igitur videtur reprehensus Euripides; nec eius defensio contra Aristotelem à Luisino allata, mihi admodum probatur. Consequens erat, vt Aristoteles aliquod exemplum adderet morum non similium: sed fortasse illud omisit, quia iudicauit, superiora exempla tum morum improborum, tum morum non conuenientium posse etiam seruire ad mores non similes declarandos, non, vt obijcit Castelnetrius, quòd huic parti defuerit, & eam imperfecte tractauerit. illi enim mores nimis improbi, & non conuenientes, non sunt mediocres, nec similes moribus præsentis ætatis. Vltimum exemplum est Iphigenia in Aulide apud eundem Euripidem, quæ primum supplicat patri, ne se mactet, cum ita loqui inducitur;

> Supplicem me ad tua genua aduoluo.
> Corpus meum, quòd hæc tibi peperit,
> Ne mihi intempestiuum perdas: suaue enim est lucem
> Aspicere, &, quæ sub terra sunt, ne me videre cogas.

Mox, cum pro ea intercedit Achilles, ne mactetur, ait illa velle se libenter pro salute Græcorum mori, loquens sic;

> Tu vero hospes,
> Ne mea caussa pereas, nec quenquam perimas,
> Sine, vt Græciam seruem si queamus.

Verba eiusdem Luisini sunt; Tertium peccatum videtur in Euripide esse, quòd Iphigeniam primum patri supplicem, ne Dianæ mactaretur, inducit, mox alacrem ad moriendum pro salute Græcorum omnium eam fingit. Cicero enim lib. 3. de off. sic inquit; Agamemnon cum deuouisset Dianæ, quòd in suo regno pulcherrimum natum esset; illo anno immolauit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. In quo tantum abest, vt Euripides reprehensione dignus sit, vt in cœlum potius ob prudentiam ferendus videatur. nam si puellam constantem, & intrepidam effinxisset, cum primum ei mortis nuncius allatus est; non seruasset profe-

profecto decorum: id enim virtutis specimen puellæ dedisset; quod uix in Regulo, Codro, & Decijs repertum est, puellæ timidæ sunt; & nihil morte acerbius putant. iure igitur primum timidam, Iphigeniam Euripides facit. at altero die salutem Græcorum vita chariorem habet. quid tum? illam patris preces, illam necessitas, illam salus suorum; illam gloriæ mouere potuerunt. at inconstans est. nimirum fœminæ inconstantes esse solent. Virgilius; Varium, & mutabile semper fœmina. Cur autem mortis contemptum in maximi Regis filia indigne ferimus, quem fuisse in priuatis fœminis Arria, Porcia, & alijs scimus? Hactenus Lusinus, satis quidem ingeniose, sed ut ego arbitror, non prorsus vere, vt ob id, quemadmodum suadet Euripides ferri in cælum, vel reclamante debeat Aristotele. Nam recte finxit puellam ad primum mortis nuncium omnino trepidam, altero autem die, fortasse minus recte ita intrepidam, & ad moriendum promptam, atque paratam, ut nulla persuasio in puella tantam fortitudinem potuisse conficere uideatur. Ac, tametsi fœminæ sunt inconstantes, plerunque scilicet in partem deteriorem: tamen tanta, & tam subita puellæ mutatio, & quidem in meliorem partem, & ad uerum decus, ueramque gloriam, quæ à maxima fortitudine, & morte pro communi salute fortissimo animo suscepta proficiscitur, mihi uerisimilis non est. Attendendum uero esse uerisimile, & necessarium, sic præcipit Aristoteles; Oportet & in moribus, ut etiam in rerum constitutione semper quærere uel necessarium, uel uerisimile; & hoc post hoc fieri uel ex necessitate, uel ex uerisimilitudine. Quæ uerba eò pertinent, ut magis reprehendatur Euripides, qui res fecit parũ uerisimiles; dicat, quidquid uelit Casteluetrius, qui hanc particulam superuacaneam esse scribit.

DE

XVIII.

DE SOLVTIONIBVS Fabularum, de ſpectanda morum pulchritudine, de ijs, quæ ſub ſenſum cadunt.

SOlutiones fabularum aut ex ipſis fiunt fabulis per res, & perſonas in negocij Tragici poſitas difficultate; atque hę maxime probantur; vt in Oedipode Sophoclea, cum imprudenter aperit nuntius, cuius ipſe Oedipus filius fuerit: aut non ex ipſis fabulis per res, & perſonas, quæ extra negocij Tragici difficultatem ſpectantur, vt quæ per machinam, & Deos in machina apparentes fiunt; atque hæ minus placent. Huiuſmodi autem machinæ meminit libro tertio Polybius, hiſtoricos reprehendens, qui Annibali Alpes tranſeunti Deum apparuiſſe viam commonſtrantem affirmarunt. Idem committunt, inquit, quod Tragici. Nam eorum omnium fabulæ ad extremum Deo, & machina indigent: quia initio quędam temere, & præter rem finxerunt. Meminit quoque Cicero libro primo de natura Deorum in hunc modum; Tragici poetæ cum explicare argumenti exitum non poteſtis, confugitis ad Deum. In Oreſte Euripidis Apollo de raptu Helenæ ea aperit, quæ nota non ſunt. In Electra Caſtor, & Pollux Theoclymeni futura prædicunt. In Philoctete Sophoclis Hercules Philoctetem hortatur, vt ad Troiam pergat, cum id ei nec Neoptolemus precibus, nec Vlyſſes minis perſuadere potuiſſet, & res iam in deſperationē adducta eſſet. Exemplum hoc in loco affertur Medeæ, & Iliadis. Nam, cum Medea Creuſam combuſſiſſet, & filios interfeciſſet, in vrbe Corintho clauſa eſt, ita vt ex Iaſonis poteſtate effugere nullo modo poſſe videretur. Eius difficultatis ſolutio ex eo fit, quòd currum à volantibus vectum draconibus conſcenderit, atque eo modo per aerem abiuerit. Cum autem Græci negocium deſerere Troianum meditantes reuerti in patriam concupiſcerent; Pallas de cœlo delapſa Vlyſſem hortata eſt, ut hu-

iusmodi profectionem præpediret. Additur, machina vtendum esse, vt res cognoscantur, quæ extra actionem, & extra locum illum, vbi agitur Tragœdia, aut sunt, aut ante facta sunt, quas vt homo alio modo sciat, fieri non potest; aut postea futuræ sunt, quæ prædicatione indigent, & nunciatione. Omnia enim, inquit philosophus, tribuimus Deis. Quocirca cum res aliquę viribus humanis cognosci non posse videantur, ad machinam, & ad Deum confugiendum est. Traditur quoque, cum aliquid extra Tragœdiam, & actionem Tragicam reperitur, quamuis vacet ratione, id tamen aliquo modo excusari, vt quę sunt in Oedipode Sophoclis, quòd ipse Oedipus ante illius actionem diei ignorauerit, vt scribit Casteluetrius, quis fuerit Laius, & quomodo occisus sit. Falsum tamen id est, quia Oedipus sciebat, ante se Laium fuisse Regem Thebarum, & à quibusdam viatoribus occisum esse. sic enim legitur in prologo;

CREON. Fuit nobis, ò Rex, Laius olim gubernator
Terræ huius, priusquàm tu hanc gubernares urbem.
OEDIPVS. Noui audiens: non enim vidi vnquam.
& in episodio primo;
CHORVS. Occisus esse dictus est à quibusdam viatoribus.
OEDIPVS. Audiui & ego: sed, qui viderit, nemo videt.

Non igitur ea ignorabat, quæ ait Casteluetrius: sed vbi, & quando, & quot cum comitibus Laius interfectus esset, quæ in secundo episodio narrantur; de quibus ante eum diem inter ipsum, & Iocastam nullum sermonem habitum esse, præter rationem est. Id tamen excusatur, quia extra diem actionis fit Tragicæ. Præterea præcipitur, cum Tragœdia sit meliorum imitatio, poetas Tragicos imitari bonos formarum fictores oportere. Illos enim, cum propriam tribuant formam, faciendo similes, pulchriores fingere. Sic poetas Tragicos, dum imitantur & iracundos, & ab ira cessantes, & alia talia in moribus habentes, cum tales sint, pulchriores imitari oportere in iracundia, & mansuetudine, ac iracundos, & mansuetos describere in meliorem partem, atque exemplum facere probitatis, & duritiæ, ut Achillem bonum etiam Homerus descripsit. Vel, vt Achillem Agathon, & Homerus. His enim duobus modis verba Aristotelis vertuntur. Tametsi enim personæ Tragicæ mediocris probitatis, & improbitatis esse debent, id est vt supra dicebatur, neque virtute, & iustitia præstantes propter facta improba, & flagitiosa, neque vitio, & iniustitia exuperantes, quia non ex prelectione agant, sed per errorem: tamen alibi cogitandum proposuimus, an ita intelligi res queat, vt meliores de-

describi debeant, si non facto, at saltem animo. Quæ explicatio uidetur superioribus præceptis conuenire, nec Aristotelem sibi ipsi repugnantem facit, ut disputat Castelnetrius; quòd superius in personis Tragicis probitatis requisiuerit mediocritatem: hoc autem in loco perfectionem requirat. Additur non solum hæc seruanda esse: sed etiam ea, quæ sub sensum cadunt, consequentia poeticæ, præter illa, quæ ex necessitate sunt. Nam secundum ipsa sepenumero peccari. Ac de ipsis dictum esse in editis sermonibus. Per ea uero quæ cadunt sub sensum, consequentia poeticæ, intelliguntur harmonia, & apparatus, quæ partes non sunt præcipuæ, nec necessariæ. Per editos sermones Madius intelligit editos à Glaucone Teio sermones. Alij putant Aristotelem locutum esse de sermonibus, quos à se ea de re scriptos in lucem, manusque hominum dederat, non suppressurum alioquin Glauconis nomen, si eius scripta denotare uoluisset. Nos, utrum suos, an aliorum Aristoteles significauerit libros, quomodo affirmari queat, non uidemus. Iam ad agnitionem ueniamus.

XIX.

DE AGNITIONE.

Dictum est prius, agnitionem esse mutationem ex ignoratione in cognitionem. Nunc sex eius species sunt obseruandæ. Quarum prima est, maxime expers artis, & à plurimis vsurpata, quæ per signa fit; & quidem signa, partim innata, vt lanceam, id est, maculam habentem lanceæ figuram, quam in pelle infixam habebant Terrigenæ nati ex terra, & ex dentibus serpentis seminatis à Cadmo; aut stellas, quales in Thyeste dicit Carcinus, nempe stellarum figuras in corporibus Pelopidarum (quidam tamen legunt, non ἀστέρας, id est, stellas, sed ὀστία, id est, ossa eburnea propter humerum eburneum Pelopis) partim adnentitia, aut in corpore, vt cicatrices, aut extra, vt monilia, & vt in Tyrone scapham. Tyro enim à Neptuno cōpressa Neleū, & Peliā peperit, quos furtim genitos in Scapha mari cōmisit, per quā postea agniti sunt. Ac licet vti his uel melius, vel

peius, prout vel maior, vel minor animi motus gignitur, vt Vlysses per cicatricem aliter agnitus est ab Euryclea nutrice, dũ ipsa ei pedes ablueret, libro decimo octauo Odysseæ, ex quo signo illa maximum animi motum, & maximum gaudium concepit: aliter a subulcis, qui iam eum esse Vlyssem cognouerant, sed ex signo certiores facti sunt libro uigesimo Odysseæ; ac minorem sine dubio animi commotionem, minoremque lętitiam experti sunt. Ac huiusmodi agnitiones omnes, quæ per signa fidei caussa fiunt, vt credantur, magis artis expertes sunt; qualis à subulcis facta est, ostenso eis signo cicatricis, vt, cum Vlysses se esse Vlyssem diceret, id certius crederent. In quibus vero signa adhibentur, non caussa rei cõfirmandę, quæ prius dicta sit; sed caussa præcipuæ cuiusdam demonstrationis, quæ alia non egeat demonstratione, quæque ex Peripetia fiunt, id est, animi mutatione in persona per signum agnoscente, illę sunt meliores, vt quæ facta est in Niptris, & Lauacris ab Euryclea nutrice, dum Vlyssi pedes abluendo, eum ex cicatrice præter omnem spem agnouit. Secunda species est, quæ à poeta facta est. Itaque dicitur esse artis expers, quia à poeta sine magno fit artificio. Tales sunt, quæ sine mutatione fabulæ diuersæ esse queunt, & aliæ, atque alio modo fieri, vt Orestes in Iphigenia cum sororē per epistolam agnouisset, à sorore per affirmationem suam, & commemorationem cuiusdam lanceę agnitus est, quæ agnitio fieri quoque alijs rebus commemorandis sine fabulę poterat mutatione. Sequitur locus asterisco notatus, tamquàm corruptus. Nam, cum dictum sit; Hæc quidem agnita per epistolam, scilicet Iphigenia; post huiusmodi verba in quibusdam libris legitur; Ille vero per signa. in alijs; Ille vero per lanceam. in nonnullis; Ille vero ex texturis. Quidam putant nonnulla verba abundare, & legunt; Ille vero ea dicit, quæ vult poeta, sed non fabula. Casteluetrius legit; Ille vero; & reliqua. Ac ipse quidem dicit. Nos legendum arbitramur; Ille vero per alia. Ac ipse quidem dicit ea, quę uult poeta, sed non fabula. A quo peccato additur non longe abesse etiam in Sophoclis Tereo radij vocem, per quam fortasse Philumena (nihil enim certi hac de re, cum ea Tragœdia careamus, afferri potest) dum apud Lathusam vxorem Lyncei Thraciæ Regis texeret, apud quem deposita fuerat, à Progne agnita est. Quòd autem Casteluetrius scribit, hanc secundam agnitionis speciem duplicem esse, alteram factam à poeta, alteram à fabula; ac legendum putat; Secundę sunt, quę factæ sunt; Ac ex ijs, quæ factę sunt, aliæ à fabula, alię à poeta factæ sunt: id secuti non sumus: quia quam ipse à fabula factam appellat, Aristoteles sextam facit speciem, quæ ex ipsis rebus est; & exem-

exemplis infra declarat; quod hoc in loco magis fecisset, si eam sub hac secunda specie comprehendere voluisset. Tertia est, quę per memoriam fit, cum quis aliquid sentit, quod prius nouit, aut uidendo, aut audiendo; ut quę facta est in Cyprijs Dicęogenis: cum enim picturam inspexisset, luxit. & quę fit in Alcinoi Apologo apud Homerum libro octauo Odysseę ubi Vlysses fingitur Demodocum audiens lachrymasse, & hoc modo ab Alcinoo, Phæacum Rege agnitus esse. Quarta est, quę fit ex syllogismo; cuius quattuor afferuntur exempla. Vnum ex Choëphoris, & Portatricibus Aeschyli cum Electra circa paternum sepulchrum inuentis pedum uestigijs mensurę partibus pedum suorum, ita ratiocinata est; Qui pedes eiusdem habet mensurę, cuius sunt mei, Orestes est. At is, qui aduenit, habet. Ergo est Orestes. Alterū ex Polyde Sophista de Iphigenia. Cum enim Orestes se, & non Pyladem, immolandum esse argumentaretur, quòd etiam sua ipsius soror esset immolata, Iphigenia huiusmodi syllogismo Orestem agnouit; Cuius soror immolata est, Orestes est. Huius soror immolata est. Ergo huic Orestes est. Tertium ex Theodectis Tydeo. Nā, cū Polinices ab Adrasto rogatus, cuius'nam esset filius, se cuiusdam esse nepotem respondisset, qui querens, quid de filio factum esset, perijt; hęc facta est ratiocinatio; Qui nepos est Laij, filius est Oedipodis. Polinices vero nepos est Laij. Ergo filius Oedipodis. Quartum de Phoenidibus, quę cum quendam in locum perductę essent, vt ibi morerentur, in quo etiam expositę fuerant, fatale esse, se ibi mori, argumentatę sunt ad hunc modum; Quo in loco expositę, & quem in locum ductę sumus, vt moriamur, is nobis fatalis est. At hoc ipso in loco expositę, & in hunc ductę sumus, ut moriamur. Hic igitur nobis fatalis est. Quincta est ex paralogismo theatri, ut in falso de Vlysse nuncio. Cum enim proci perspicerent, idcirco Penelopen nolle iterū nubere, quòd ad huc de Vlyßis cogitaret vita, quo eum deciperēt, curarunt, vt quidam ignotus ueniret, se illum esse affirmās; qui cum Vlysse ad huc puer profectus esset, ac Vlyßis mortē nuntians; qui, vt id persuaderet, multos afferri arcus iußit, in quibus Vlyßis esset arcus olim domi relictus, seq. eum cogniturum esse professus est. Tunc in theatro huiusmodi paralogismus factus est; Qui Vlyßis arcum inter tam multos cognoscit, uerus est de Vlyßis morte nuntius. Hic cognoscit. Ergo verus est nuntius. Falsa autem erat consecutio, quia falsa maior propositio. Non enim consequebatur, qui Vlyßis arcum cognosceret (quod multis euenire modis poterat) eum verum nuntium esse. Sexta est, quę dicitur omnium optima, & est ex ipsis rebus, consternatione rerum facta, & stupore per uerisimilia;

ac fit ex successione rerum alterius ab altera pendentium secundum id, quod uerisimile est; vt in Sophoclis Oedipode, verisimile erat, Oedipodem, cum Rex Thebarum esset, liberare pestilentia Thebanam regionem voluisse; cum ex oraculo Apollinis per Creontem intellexisset, id fieri nequaquam posse, nisi Laij cędes uindicaretur, cognoscere eius interfectorem studuisse; id à Tiresia uate quęsisse; ei iratum esse, quòd ab ipso interfectũ esse dixisset; eum à Creonte corruptum, suspicatum esse; cum aduenisset nuntius, qui Corinthiorum nomine post mortem Polybi ipsum fuisse designatum Regem nunciabat, quòd ab oraculo accepisset, sibi cum matre rem habendam esse, Corinthum se rediturum negasse, ne Meropen Reginam, quam suam esse matrem putabat, incestaret; occasione talis metus audiuisse, quem verum patrem habuerit, quomodo Corinthum prius delatus sit, & reliqua, ex quibus mirabilis agnitio facta est. Et in Iphigenia Euripidis, verisimile erat, Iphigeniam, cum Gręca esset, duos Gręcos miserari, Orestem, & Pyladem; vnius vitam impetrare, & in patriam reditum; propter huiusmodi reditum ei dare litteras uoluisse, dedisse, ac simul dixisse, quid scripsisset; sicq. ab Oreste agnitam esse. Huiusmodi autem agnitiones pręferuntur ceteris, quia tales sola sine factis signis, & monilibus fiunt. Secundus locus illis datur, quę per syllogismum fiunt, aut verum, aut apparentem. Tertius erit tertij generis, quod artis expers non est appellatũ. Quartus secũdi, quod artis expers dictũ est. Quinctus primi, quod non solũ artis expers, uerũ etiã maxime expers est nuncupatũ. Hũc Arist. locũ de agnitione, dũ, quõ Poetica sit pars Logicæ, & Syllogistica, quemadmodum ab Auerroe, & ab alijs est appellata, quæreremus, nobis multos abhinc annos primus considerandum proposuit Iulius Carrara, Ciuis Venetus, cum propter iuris Cęsarei, & Pontificij doctrinam, & Philosophiæ, ac Theologiæ notitiam, litterarumque Gręcarum, & Latinarum cognitionem, nostro quidem indicio perquàm amabilis, atque adeo etiam admirabilis; tum vero maxime venerandus, & colendus, non tam quia Rhythymnæ Episcopus sit, quàm quòd Episcopatu, & altioribus dignitatis gradibus, ad quos sua eum virtus, sua sapientia vocat, quàm dignissimus. Cum enim hac de re vna cum eo, dum ipse Patauij in pręclaris, litterarum studijs floreret, colloqueremur; conquiescere nequaquam poteramus, vt initio commentationis nostræ dictum est, in illorum explicatione, qui eam esse Logicam scripserunt, propterea quòd enthymemate, & exemplo vtatur, vt facit etiam Rhetorica; videbamus enim talem vsum ceteris quoque omnibus artibus conuenire: nec in illorum explanatione,

qui eam inter partes Logicæ numerari tradiderunt. quoniam vsum exempli doceat, cuius assumptio in factis sit, & non in dictis, in rebus, & non in verbis, in actionib. & non in sermonibus, conclusio vero in mente spectatorum. Id quod esse expressum videtur ex Di. Thoma, qui in librum primum Posteriorum Analyticorum, dum Poeticam esse partem Logicæ ostenderet, in hanc sententiam scriptum reliquit; Quandoque sola existimatio declinat in aliquam partem contradictionis propter aliquam repræsentationem eo modo, quo fit homini abominatio alicuius cibi, si repræsentetur ei sub similitudine alicuius abominandi. Et ad hoc ordinatur Poetica. Nam poetæ est inducere ad aliquod opus virtutis per aliquam præcedentem repræsentationem. Totum autem hoc ad ratiocinandi Philosophiam pertinet. Inducere enim ex vno in aliud rationis est. Itaque, quam vir sanctissimus appellat repræsentationem, illi nominant exemplum; &, vocabulo tantum immutato, se omnium primos eius rei inuenisse, & attulisse rationem, profitentur. Quod fortasse magis mirum uideri potest, quàm notasse, ut rem nouam, & post Aristotelem nemini, ut aiunt, ad hęc usque tempora cognitam, duas tantum esse methodos, vnam componendi, alteram resoluendi, reiecta definiendi methodo, quam Galenus in principio artis Medicæ tertiam facit. Id quod non solum quidam alij, & quidem clarissimi uiri, sine ulla rei nouæ professione, se prius dixisse affirmarunt, uerum etiam Iulius Cęsar Scaliger libri primi de caussis linguæ latinæ capite secundo, anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimò, tamquam suum inuentum diuulgauit. Fieri enim potest, ut idem ingenium, eadem mens sit multorum; & idem a pluribus animaduertatur; quodque obseruauit Scaliger, ab alijs quoque, qui ne Scaligerum quidem esse natum sciuerint, nedum tale quippiam scripsisse, obseruatum sit. Sed eos, qui de rebus Logicis scribant, ad posteriora Analytica in primis pertinentes, Commentarium clarissimi explicatoris Di. Thomæ in libros Posteriorum Analyticorum præ oculis, & præ manibus non habere, quodque in ipsa Commentarij præfatione scriptum sit, non animaduertere, eodemque spiritu afflari, quo diuinus ille animus afflatus sit; id certe nobis omni admiratione admirabilius est. Putant igitur hac de caussa Poeticam inter partes Logicæ recenseri, quòd argumentationem quandam suam, vel repræsentationem, vel exemplum nuncupatam, sine ulla oratione conformet, cuius assumptio in scenis spectetur, conclusio uero in mentę spectatorum formetur; etiam si ceterę omnes partes Logicæ in ipsa oratione argumentationem pertractent. Cum autem nec prioribus illis ullo mo-

do,

do, nec his prorsus assentiremur; Carrara doctissimus, & eloquentissimus, nuncque etiam propter Episcopatus dignitatem omni reuerentia, atque obseruantia dignissimus, cogitandum dixit ex hoc loco, an propterea pars Logicæ Poetica sit, quòd ad eam pertineat ratiocinãdi vsum tradere, non solum in sententia, quam ipsa cum Rhetorica communem habet, quamque esse magis Rhetoricæ propriam philosophus affirmauit, verum etiam in fabula Poeticæ propria, & in ea quidem parte, quę fabulam pulcherrimam reddit, id est, in agnitione. Quam viri sapientissimi, & disertissimi declarationem haud esse contemnendam putamus. Quemadmodum enim Rhetorica pars Logicæ constituta est, quia syllogismum in vniuersali Logica iam formatum ad materiam applicat persuasionis; & vsum enthymematis, quod est syllogismus quidam, & exempli, quod est inductio quædam, docet in sententia, cuius munus est ratiocinari, & demonstrare aliquid, vel refellere: sic Poetica inter partes Logicæ ennumeranda est, quia syllogismum quoque applicat ad materiam fabulosam, & vsum syllogismi, vel enthymematis considerat non solum in sententia, sed etiam in fabula, dũ, quomodo agnitio fiat, declarat. In sententiæ autem ratione Poetica argumentandi vsum non explicat, quoniam id Rhetoricæ magis congruere videatur. Qua de re hęc sunt philosophi verba; Tertium est sententia. id autem est dicere posse insita, & conuenientia, quod in orationibus Politicæ, & Rhetoricę opus est. Nam prisci politice introducebant dicentes: qui vero nunc sunt, Rhetorice. & alibi; Ac quæ pertinent quidem ad sententiam, in libris de Rhetorica posita sunt: hoc enim magis est illius proprium methodi. Sunt autem ex sententia ea, quæ ab oratione paranda sunt. Et eorum partes tum demonstrare, & soluere: tum perturbationes parare, vt misericordiam, vel metum, vel iram, & quæcunque talia: tum præterea amplificare, & diminuere. Cum igitur sententiæ tria sint munera, vnum confirmare, & refellere, alterum affectus concitare, tertium amplificare, & diminuere; quoniam de his in libris Rhetoricæ præcepta tradita sunt, quæ vel Poeticæ seruiunt; idcirco ad illa esse confugiendum, philosophus mouet. Quare, quod attinet ad sententiam, de argumentatione, id est, demonstratione, & refutatione in Poetica nihil præcipitur. Quoniam vero fabula, quam esse Poeticæ propriam modo notauimus, ratiocinatione indiget, in ea scilicet parte, qua ipsa pulcherrima redditur; idcirco, vt Poetica sit Logica, & Syllogistica ac ratiocinandi vsum doceat, necesse est. Nam fabulæ partes præcipuæ sunt Peripetiæ, & agnitiones, quæ ipsam pulcherrimam efficiunt. Philosophi verba sunt; Ad hæc maxima

res,

res, quibus capit animos Tragœdia, sunt fabulæ partes, nempe Peripetiæ, & agnitiones. & alibi; Ad hæc quidem fabulæ partes circa hæc sunt, Peripetia, & agnitio. Idem tradit, cum duplex sit fabula, vna simplex, altera implexa, constitutionem pulcherrimæ fabulæ oportere esse non simplicem, sed implexam. & alibi, Implexa totum esse, Peripetiam, & agnitionem. Quamobrem, cum agnitio fiat per syllogismum aut imperfectum, aut perfectum, & de hoc syllogismo, ex quo existit agnitio, nihil in Rhetorica traditum sit; operæ precium fuit huiusmodi syllogismum docere, qui est ipsius proprius Poeticæ. Itaque proditum est, agnitionem fieri aut ex syllogismo imperfecto, id est, enthymemate, vt primam speciem agnitionis ex signis; exempli gratia, Hic habebat lanceam in pelle infixam; ergo ex illis erat, qui ex dentibus serpentis à Cadmo seminatis nati erant: & secundam ex aliquo poetæ inuento, vt Hic scit me in thalamo lanceam seruasse; ergo meus est frater; ex hoc.n. poetæ inuento Iphigenia potuit Orestē fratrē agnoscere: & tertiā ex sensu, vt Hic Demodoci de Græcis, & Vlysse cantum audiens luget; est igitur Græcus; nam sic Vlysses apud Alcinoum Phæacum Regem agnitus est: & sextam ex rerum successione, vt Hæc Græca est, duos miseratur Græcos, vnius reditum impetrat, scribere litteras vult, scribit, mihi dat, seruatam se esse, dum immolaretur, dicit; ergo soror est mea; sic enim Orestes Iphigeniam agnouit. Aut ex syllogismo perfectam formam habente, siue is verus sit, siue adumbratus, vt quartam speciem ex vero syllogismo, exempli caussa, Qui pedes eiusdem cum meis mensuræ habet, Orestes est; Hic, qui circa patris mei fuit sepulchrum, habet; igitur Orestes est: & quinctam ex paralogismo, vt Qui Vlyssis arcum cognoscit, de Vlyssis morte verus est nuntius; Hic cognoscit; ergo verus est nuntius. Plura Aristoteles exempla attulit ad agnitionis species declarandas: quæ superius à nobis sunt explicata. Iam constat Poeticam vsum argumentandi tradere potißimum in agnitione, & hoc modo Logicę partem esse. Nam, tametsi multa habet, quæ ad Logicam non pertinent: satis tamen est, vt in aliqua re præcipua appellari Logica queat; quemadmodum Rhetoricæ quoque euenit, quæ non solam continet oratoriam demonstrationem, propter quam ad Logicam redigitur; sed simul mores, & affectus, & præterea elocutionem, & partium dispositionem: tamen Logicæ pars dicitur propter vnum demonstrationis artificium. Sic Poetica, præter sententiam, quam ei diximus esse cum Rhetorica communem, non vnam pertractat fabulam, cuius præcipua pars, quæ dicitur agnitio, syllogismo eget; sed mores quoque, & dictionem, & harmoniam,

& apparatum: tamen propter vnam ratiocinationem, quæ fit in fabula, cuiusque vsum docere ad ipsam potissimum spectat, videtur ab Auerroe, maximo philosopho, & ab alijs fuisse pars Logicæ appellata.

XX.

DE SVBCONTRARIIS.

POst enumerata agnitionum genera, præceptum traditur de subcontrarijs fugiendis; vt poeta fabulas constituat, & elocutione conficiat, ac sibi ante oculos ponat, quemadmodum res gestæ sint, quasi rebus ipsis præsens fuerit, dum gerebantur, atque inuento eo, quod decet, ita eas exprimat, vt subcontraria fugiat, id est, aliqua in parte contraria. Qua in re Carcinus reprehensus est de Amphiarao, qui de fano exijt, non videntibus id spectatoribus. Itaque in scena apparuit, p. iusquàm eum ex fano exijsse, spectatores scire possent. Quomodo autem id euenerit, non constat, cum Carcini Tragœdia non extet. Nota vero est Amphiarai fabula, qui cum diu latuisset, tandem à coniuge proditus, & terra absorptus est.

XXI.

DE PERTVRBATIONIBVS.

QVantum autem fieri potest, etiam figuris συναπεργαζόμενον, id est, exorrantem, oportet fingere, & poesim exercere. Madius recte notat, Aristotelem de actione intelligere, eo præcipue argumento ex Victorio sumpto, quòd in secundo Rhetoricæ de eadem re loquens eodem verbo συναπεργάζεσθαι u.us est. Alij quoque recte notant, quod scribit idem Madius,

dius, in aliquibus manuscriptis libris ita legi, καὶ ὅλως ἐν ὑποκρίσει, veteremque translationem sequi huiusmodi lectionem (quæ obseruatio fuit Victorij declarantis varietatem eius, quod in Rhetoricis dicitur, καὶ ὅλως τῇ ὑποκρίσει) ab hoc Poeticæ loco alienissimum esse. Quod vero traditur de perturbationibus animi pathetice exprimendis, & per figuras corporis, atque animi significandis, id Horatij, Ciceronis, Quinctiliani testimonio confirmatur. Horatius enim sic ad Pisones scripsit;

Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus. si vis me flere, dolendum
Primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia lædent.

Ciceronis verba sunt libro secundo de oratore; Neque fieri potest, vt doleat is, qui audit, vt oderit, vt inuideat, vt pertimescat aliquid, vt ad fletum, misericordiamque deducatur, nisi omnes ij motus, quos orator adhibere volet iudici, in ipso oratore impressi esse, atque inusti videbuntur. Quinctilianus libro sexto sic scriptum reliquit; Summa, quantum ego quidem sentio, circa mouendos affectus, in hoc posita est, vt moueamur ipsi. Iam præcipitur, maxime appositos esse ad persuadendum suapte natura eos, qui in perturbationibus sunt. Quamobrem & fluctuantem efficere, vt alij fluctuent, & iratum verissime ad iram concitare. Quoniam vero Poetica laborat plurimum in perturbationibus exprimendis, quæ hominem extra se raptum, & diuino furore percitum repræsentat; idcirco libro tertio Rhetoricæ, vbi de affecta agitur elocutione, quæ ad decorum pertinet orationis, affirmatur Poesim rem diuinam esse, & diuini numinis plenam; quemadmodum hic quoque, Poeticam esse ingeniosi, vel furore perciti; quem locum corrigere Casteluetrius voluit, & distorsit, ac deprauauit, vt supra ostendimus. Additur, ex poetis alios esse, qui ingeniosi sunt; alios extra se positos, qui furore perciti sunt. Legendum enim esse; Alij vero extra se positi: & non, vt prius; Alij vero ad exquirendū apti; alibi notauimus.

XXII.

DE FABVLARVM episodijs.

QVod attinet ad fabularum episodia, primo loco traditur, factum sumendum esse in vniuersum, deinde episodijs vtendum, eaque inserenda, quæ caussas exprimant, & modos. Factum enim vniuerse spectatur, quatenus plurimis de caussis, & plurimis modis potuit euenire. Ac de illis caussis, & modis, qui poetarum fingi queunt arbitrio, episodia fiunt; vt de facto Iphigeniæ; Cum virgo quædam immolanda esset, atque ex sacrificantium oculis clam surrepta esset, & in aliam regionem delata, in qua Deæ hospitum sacrificia ex lege debebantur; eius sacri ministerio præposita est. progressu temporis fratri talis sacerdotis contigit illuc accedere, qui ad Dianæ sacrificia proficisci ob eam caussam potuit, vt à furore, quo sæpe opprimebatur, liberaretur, & ob alias quoque caussas potuit, quas poetis licet confingere. Præterea captus est, idque fieri varijs modis contigit, tũ à colonis, tum à militibus, tum ab alijs quibusdam, qui eum furore agitari animaduerterunt; cumque immolandus esset, agnitus est per epistolam apud Euripidem: per syllogismum apud Polyidem. Quare cum factum à poetis vniuerse sumatur, caussæ, & modi ex eorum arbitrio finguntur. Secundo loco præcipitur, redacta fabula ad vniuersale, tum nomina esse supponenda, ita vt ad certum locum, certumque tempus personæ redigantur: tum episodia inserenda, & in primis spectandum, quomodo episodia sint personarum propria; vt Orestis insania, per quam captus est, cum pecora interficeret: & salus per expiationem. Cum enim is aufugere cum sorore vellet Iphigenia, & Dianæ statuam secum auferre; Thoanti Regi suasum est, eum, qui matricidium commisisset, priusquàm immolaretur, esse expiandum, statuamque simul, quæ ipsius præsentia quodammodo erat contaminata, perpurgandam, idque in mari à gentibus procul. Itaque salutẽ inuenit. Postremo exponitur, in dramatibus episodia concisa esse: in Epicis longa. Odysseæ enim longum sermonem esse, de quodam, qui multos an-

nos peregrinatus, qui obseruatus à Neptuno, qui solus relictus, dum eius res domesticæ sic se haberent, vt ipsius fortunæ à procis consumerentur, et eiusdem filius insidijs peteretur, in patriam rediјt tempestatibus agitatus; cumque quosdam agnouisset, ipsos decipiens, ita seruatus est, vt inimicos suos perdiderit. Vlysses enim post multorum annorum errorem, cum ab Alcinoo, muneribus, & comitibus acceptis, discessisset, naufragium fecit, & nudus Ithacam peruenit, vt testatum reliquit Higinus. Homerus autem in Odyssea sua, Vlyssis reditu in patriam vniuerse accepto, deque eius peregrinatione, quæ per viginti annos facta est, ea tantum delecta parte, quæ dierum triginta septem spatio ab Ogygia, insula Calipsonis, vsque ad insulam Ithacam comprehensa est, ita modos variauit, vt non eum solum, sed cum socijs, non tempestatibus agitatum, sed prospero vento vtentem, & dormientem in patriam peruenisse confinxerit. Quæ caussa fuit, quamobrem non nulli scripserint, Aristotelem non de Odyssea Homeri, quæ ab eius descriptione aliqua ex parte diuersa est, sed de alia quapiam locutum esse. Additur proprium quidem esse hoc: cetera vero esse episodia; id est, factum sic sumptum in vniuersum dici proprium: cetera vero, quæ à poeta inseruntur ad facti naturam augendam, episodia vocari.

XXIII.

DE TRAGOEDIAE nexu, & solutione.

Duæ sunt Tragœdiæ partes, Nexus, & Solutio. Nexus plerumque duplex est, tum ex ijs, quæ extra fabulam, et actionem vnius diei dicuntur esse, tum ex ijs, quæ in fabula, & intra diem Tragicæ actionis posita sunt. Solutio simplex est, ex ijs, quæ sunt extra nexum. Prima pars, & nexus à principio Tragœdiæ vsque eò producitur, vbi est in aliam transitus fortunam: Secunda pars, & solutio est à principio transitus vsque ad Tragœdiæ finem. In Lynceo Theodectis nexus constat tum ex ijs, quæ an-

te diem ſabulæ fuerunt, vt quemadmodum Philomena à Tereo ſit violata, & apud Lynceum Thraciæ Regem, ac Lathuſam Reginam depoſita; Progneq́ue ad Lynceum, & Lathuſam, vt eos viſeret, profecta: tū ex ijs, quæ intra fabulæ diem euenerunt, vt quemadmodum à Progne, & Philomena Itys captus ſit. Solutio cędem continet Itys Drianti tributam, Terei fratri; cędem ipſius Driantis; cœnam ipſius Terei. Sic in Oedipode Sophoclis nexus eſt cędes Laij, concubitusq́. Oedipodis cum Iocaſta, quæ ante fabulæ diem fuerunt: & aduentus nuntij Corinthij, qui in die fuit fabulæ. Solutio eſt agnitio, & deſperatio Oedipodis, & Iocaſtæ.

XXIIII.

DE SPECIEBVS Tragœdiæ.

Quattuor Tragœdię ſpecies enumerantur; vna implexa: pathetica altera: tertia morata: ſimplex, vt coniectura fit, quarta. Quæ autem ſit implexa, quęq́ue ſimplex, ſupra eſt explicatum. Pathetica vero inſigne habet pathos, id eſt, perpeſſionem. At morata eò ſpectat, vt bonos inducat moꝛes. Iam dicitur implexa, cuius totum eſt Peripetia, & agnitio, de quibus ſupra quoque eſt pertractatum. Patheticæ duo aſſeruntur exempla, Aiaces, & Ixiones. Ac Aiax quidem, Telamonis filius, ſibi mortem conſciuit. Ixion uero, cum Iunonem interpellare de ſtupro auſus eſſet, miſerrimus factus eſt. Nominantur Aiaces, & Ixiones, quia plures de Aiace, & Ixione Tragœdiæ factæ ſunt. Moratæ itidem duo ſunt exempla, Phthiotides, de quibus habetur nihil, & Peleus, qui cum in ludo diſci Phocum fratrem ſuum interfeciſſet, mendicus peregrinatus eſt. Quartæ duo alia ſunt exempla, Phorcides, in quibus Meduſa fuit à Peleo interfecta, & Prometheus Caucaſo defixus, quòd ignem Ioui abſtuliſſet. Affertur ratio, cur quattuor ſint Tragœdiæ ſpecies: quia tot etiam partes dictæ ſunt, ſcilicet fabulæ. Dictum enim eſt, fabulam duplicem eſſe, vnam ſim-

plicem

plicem sine Peripetia, & agnitione: alteram implexam cum agnitione, & Peripetia: & tres esse fabulæ partes, Peripetiam, agnitionem, perpessionem: & in fabula oportere esse φιλάνθρωπον, id est, vt interpretatur Madius, moratum, & quod ad bonos mores inducendos conducit. Casteluetrius putat eam fabulæ dilatari diuisionem, quæ duas tantum continet partes, vt sit aut simplex, aut implexa; collegitque fabulam esse aut implexam simpliciter: aut implexam patheticam: aut simplicem moratam: aut simplicem simpliciter; ita vt aut fiat mutatio in miseriam per agnitionem, & dicatur implexa simpliciter, vt in Oedipode Tyranno: aut mutatio quidem fiat, sed non per agnitionem, ac implexa Pathetica nominetur; vt Aiax non per agnitionem pecorum, sed quia resipuit, in miseriam traductus est; itemque Ixion non per agnitionem nubis, quæ Iunonis imaginem præ se tulerat, sed quia apud inferos rotæ defixus est: aut sit continua miseria ingẽtis doloris, & simplex simpliciter appelletur: aut sit cõtinua miseria mediocris doloris, & simplex morata nũcupetur. Quę si recipiatur explicatio, nec ĩplexa unquã morata, nec simplex Pathetica erit. contrarium tamen apparet, quia eędem species sunt Epopœiæ, & Tragœdiæ, ut, quod dicitur de Epopœia, idem dici posse de Tragœdia uideatur; & Epopœia partim simplex, & Pathetica, partim implexa, & morata esse potest. sic enim inferius legitur; Præterea vero Epopœiam oportet habere easdem cum Tragœdia formas, aut enim simplicem, aut implexam, aut moratam, aut Patheticam esse oportet. & paullo post; Poematum vtrũque constitutum est, Ilias quidem simplex, & Patheticum: Odyssea vero implexum: agnitio enim per totum, & morata est. Reiecta igitur Casteluetrij subtilitate, putamus Tragœdiæ esse quattuor species, & fabulam distingui quattuor rationibus; aut quia duplicem contineat fortunæ tenorem, & esse implexã: aut quia insignem habeat perpessionem, & esse Patheticam: aut quia in ea præualeant mores, & esse moratam: aut quia nullam fortunæ mutationem experiatur, & esse simplicem.

DE

XXV.

DE POETARVM praestantia.

Maximam autem requiri præstantiam in poetis, ex eo apparet, quòd habere omnia debere existimantur, vel si non omnia, at saltem maxima, & plurima, quæ ad perfectam quandam naturã pertineant; qui si qua in re excellant, nisi in omnibus excellere videantur, reprehenduntur. Cum enim boni fuerint in re quapiam poetæ, vnum superare singulos in proprio bono, dignum putant. De eadem præstantia sic Horatius scripsit ad Pisones;

O maior iuuenum, quamuis & voce paterna
Fingeris ad rectum, & per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor. certis medium, & tolerabile rebus
Recte concedi. consultus iuris, & actor
Caussarum mediocris abest virtute diserti
Messallæ, nec scit, quantum Cassellius Aulus:
Sed tamen in precio est. Mediocribus esse poetis
Non homines, non dij, non concessere columnæ.

Hic non inutile erit, qui apud antiquos præstãtes poetæ habiti fuerint, commemorare, etiãsi ex sententia Aristotelis non omnes poetarum digni esse nomine videantur. Sed communem hic appellationem, non exactam philosophi regulam attendemus. Ex eorum enim numero, quæ scriptione exercentur, communis opinio est, antiquissimam Poesim fuisse; & primũ litteratorum hominum genus poetas extitisse; repetita vsque à Mose, & Dauide rei poeticæ origine. Siquidem Moses Hebræorum imperator, Heroïcum carmen edidisse tunc dicitur, cum ex Aegypto Hebræos in patriã reduxit, & mare rubrum diuinitus cedentibus aquis transgressus est, quo carmine præpotenti Deo gratias egit. Post Mosem vero Dauid Lyricus, prælijs, ac periculis expeditus, cum maxima iam pace frueretur, carmina in Deum, hymnosque vario modo composuit. Apud Græcos autem,

apud quos maxime floruisse Poesis visa est, inter homines eruditos primi commemorantur poetæ; atque inter præcipuos circa tempora Troica recensentur, Linus, qui modos inuenit Lyricos, & carmen heroicum scripsit: Orpheus, qui etiam Lyricus fuit: Musæus, qui Amores Erus, & Leandri, quos adhuc habemus, scripsisse existimatur. Post tempora vero Troiani belli varij poetæ fuerunt, vt Pisander, Homerus, Hesiodus, Empedocles, Panyasis, Antimachus, qui versus hexametros conscripserunt. Et Homeri, Hesiodique scriptis superiorum omnium scripta fuisse obscurata, vt Daretis, Melisandri, Oribantij, Aelianus libro decimo tertio testatur. Ac Iambicorum quidem primus nominatur Archilochus. sed ante Archilochum Homerum versu Iambico vsum eße, ex Victorini libro secundo de versuum ratione apparet, vbi legitur in Margite Homeri inter hexametros fuisse Iambicos interiectos. quod supra quoque notatum est. Iambus vero in Tragœdias, & Comœdias receptus est. Et Tragici illustres feruntur quattuor; Thespis inuentor Tragicæ camœnæ, vt Horatius in poetica, & Plutarchus in vita Solonis testantur, etiamsi alij asseuerauerint Epigenem fuisse Tragœdiæ inuentorem, vt narrat Suidas, alij Dorienses, vt supra Aristoteles scriptum reliquit: Aeschylus, cui uel ipse Dionysius Deus mandasse dicitur, vt Tragœdias conscriberet: Sophocles ob linguæ dulcedinem apis appellatus: Euripides, qui quoque in conficiendis Tragœdijs excellere visus est. Comici vero in magno honore fuerunt Eupolis, Cratinus, Aristophanes, Philemon, Menander. Et inter Dithyrambicos, qui Bacchum cecinerunt, valde celebratur Philoxenus. Cum autem communis scriptorum uox nouem Lyricos enumeret; Zetzes Isaacius in Lycophronem decem nominat, addita Ecyrrhina, vel, vt legendum arbitramur, Corinna; qui fuerunt, Alcęus à non nullis inter Gręcos existimatus Lyricus primus: Alcman, inuentor amatorij carminis: Anacreon apud Polycratem Samiorum Regem valde honoratus: Bacchilides, cuius carminibus Iulianus Cęsar mirabiliter est delectatus: Corinna, quæ vicisse quidem Pindarum narratur, sed propter imperitiam auditorum: Ibicus inuentor Sambucæ musici instrumenti: Pindarus, cuius tanta, & tam celebris fuit fama, vt Lacedęmonij in reliquam Boeotiam sęuientes propter eum vnum pepercerint Thebis; & Alexander vrbe Thebanorum potitus, vni ex omnibus parci eius ipsius domui voluerit: Sappho, quæ, quamuis fœmina, propter poesis excellentiam apud Mytilenęos valde honorata est: Simonides, cui inuentio artificiosæ memoriæ tributa est: Stesichorus, sic appellatus, quoniam cum cithara cantu primus chorum constituit. Nam prius Tisias

voca-

vocabatur. Inter Elegos excelluit Callimachus; ac circa ipsius Callimachi tempora septem alij poetæ floruerunt, nominati Pleiades à numero stellarum illarum, quæ ante Tauri genua conspiciuntur; nempe Theocritus, Aratus, Nicander, Apollonius, Philetas, Homerus iunior, Lycophron. Ac tempore Ciceronis claruit Archias, qui res scripsit Romanas, cuiusque aliquot epigrammata leguntur in volumine Græcorum epigrammatum. Multi enim illa confecerunt; quæ Maximus Planudes, vltimis Græcorum temporibus, in vnum, quod extat, uolumen, reiectis lasciuioribus, conduxit. Quod ad poetas attinet Latinos, vt rudes illos mittamus, qui primis in Italia temporibus fuerunt, quorumque numeros Saturnios, quasi Saturni seculo editos, Horatius appellauit, multi ab anno Vrbis quingentesimo decimo quarto usque ad annum septingentesimum decimum clari fuerunt, id est, à Centhone, & Tuditano Cos. vsque ad Hirtium, & Pansam, atque ad tempus Augusti. Nam eo ipso anno quingentesimo decimo quarto, ex ijs, quorum scripta lectu digna essent, primus L. Liuius Andronicus fabulam dedit. Secuti sunt Q. Valerius, & C. Manlius Cos. quibus natus est Q. Ennius ille, qui scripsit Annales, & bellum Punicum secundum hexametris versibus, et præterea Tragœdias, atque Comœdias. Tres alij Tragici in primis laudati sunt, Pacuuius, Accius, Varius. Ex Comicis vero præter Ennium alij nouem Sedigiti versibus apud Gellium libri decimi quincti capite vigesimo quarto enumerantur; primusque locus Cęcilio datur, quem tamen Cicero ad Atticum malum Latinitatis auctorem appellat: secundus Plauto, quem valuisse in sermonibus, testatur Varro apud Nonium, cum Cęcilium dicat in argumentis palmam poposcisse: tertius Neuio, quem bello Punico primo stipendia fecisse, idem Varro in libro de poetis affirmat: quartus Licinio, qui non parum excelluisse in Comœdijs conscribendis narratur: quinctus Attilio, quem Varro quoque apud Sosipatrum facile mouisse affectus scribit: Sextus Terentio, quem idem in moribus valuisse prodit, & Seruius in librum primum Aeneidos ait, propter solam proprietatem sermonis omnibus fuisse Comicis præpositum, illisque esse, quantum ad cetera spectat, inferiorem: Septimus Turpilio, quem Sinuessæ mortuum esse Pompeij tempore, auctor est Eusebius: nonus Luscio, quem alij Lucetium nominant: decimus Ennio. In satyra autem clarissimus fuit Lucilius tempore secundi belli Punici, vt constat ex Gellio, libri decimi septimi capite vltimo. Præter hos Lucretius variam de rerum natura doctrinam ex Epicuri placitis haustam uersibus hexametris conclusit: & P. Varro Attacinus Pythagorica

instituta

institutа versibus expressit: & C. Valerius Catullus tempore Terentij Varronis, & sub Iulio Cæsare claruisse dicitur. A temporibus vero Augusti vsque ad tempora Gothica alij quidam recensentur; inter quos eundem locum P. Virgilius Maro apud Latinos, quem Homerus, Hesiodus, et Theocritus apud Græcos, obtinere visus est. Q. Horatius Flaccus Pindarum in primis imitatus est. Albius Tibullus Hirtio, & Pansa Cos. ortus est, anno Vrbis septingentesimo decimo, quo Cicero est interfectus. Sex. Aurelius Propertius à quibusdam inter eos numeratus est, qui Antonium secuti, Perusia capta, ex Octauij Cæsaris auctoritate ad aram Di. Iulij perducti, & occisi sunt. P. Ouidius Naso eodem anno natus est, quo Tibullus. Aemilius Macer, volucres, & herbarum cecinit virtutes, Ouidij tempore, & opus quoque Homeri est persecutus, quidquid apud Ilium vsque ad finem belli actum sit, quod fecisse etiam Quinctum, supra notauimus. Cornelius Seuerus versificator, quàm poeta melior à Quinctiliano appellatus est. Manilius implicatam syderum materiam ex Chaldæorum placitis varie expressit, Astrologiam versibus primus Latinorum aggrediens, opus Augusto dedicans: Post Tiberij principatum Anneus Lucanus bellum Pharsalicum heroico carmine complexus est. Silius Italicus bellum Punicum descripsit. A. Persius sub Nerone Principe inter Satyricos secundam palmam obtinuit. Saleius Bassus Vespasiano Principi fuit charus, qui opus composuit epicum. Valerius Flaccus ad imitationem Apollonij Argonautica scripsit, quod opus Domitiani Imperatoris nomini dicatum creditur. Statius Papinius heroicam dignitatem est consecutus. Iunius Iuuenalis temporibus floruit Domitiani, & ad Neruæ, ac Traiani peruenit ætatem. M. Valerius Martialis poesim iam à superiorum celebritate inclinantem à Domitiano ad Traiani tempora iucundis, & argutis epigrammatibus, multiplicique rerum in omni vita euenientium varietate notata, immodica tamen scribendi licentia exercuit. Decius Ausonius Burdegalensis à Valentino, & Valentiniano accitus Gratianum erudiuit, atque elegans poema conscripsit. Eodem tempore fuit Aurelius Prudentius, qui Christianæ religionis historiam, doctrinam, atque instituta, versibus est persecutus. Claudianus varia in primis, & docta poemata fecit, cui Honorius, & Arcadius cum honorifica inscriptione statuam erigendam mandarunt. Perturbata vero Gothicis temporibus latina lingua, Sidonius Apollinaris illius ætatis calamitatem suis testatus est scriptis; qui, cum esset doctus, & ingeniosus, ad Homeri imitationem, Hebræorum antiquitatem heroico carmine exposuit, vsque ad

imperium Saulis, viginti quattuor libris, vnicuique libro litteræ nomen ponendo, vt apud Homerum quoque factum est. Imitatus præterea est Menandri soccum, & Euripidis cothurnum, ac Pindari Lyram. Arator Apostolorum Actus versibus hexametris comprehendit. Faustus Gallus per eadem vixit tempora. Atque hi fuerunt præcipui ex communi appellatione poetæ; quorum tamen alij magis, alij minus poetarum nomine digni esse comperientur, si superiora Aristotelis præcepta fuerint diligenter obseruata. Recentiores plurimos prætermittimus, partim quia noti sunt, partim ne longius, quàm par est, progrediamur. Quorum plerosque enumerat, & indicat Iulius Cęsar Scaliger libro sexto Poetices, qui Hypercriticus dicitur. Dabunt autem nobis hanc veniam ceteri, vt propter breuitatem ipsos silentio prætereamus, & de omnibus vnum legitima de caussa nominemus, non solum poetam præcellentissimum, verum etiam Poeticæ doctorem præstantissimum, Io. Georgium Trissinum, Patricium Vicetinum, qui præter alia sua decora, & dignitatis insignia, quæ hic commemorandi non est locus, cum plurima dederit maximæ sapientię, ac propesingularis doctrinæ documenta, Poeticam Aristotelis in quincta, & sexta parte Poeticæ suæ, Italica quidem lingua, sed tamen clarissimis illustrauit explicationibus; vt, quantum Ludouico Casteluetrio non debere, qui ei ingeniosis quidem, sed captiosis commentarijs tenebras offundere conatus est, tantum huic perillustri Scriptori debere nos deceat, qui talis philosophi talem artem clarissime explicauit, & admirabilem, ac prope diuinam ostendit; primusque fuit, qui in huiusmodi lingua, cum ceteri fere sine arte poemata scriberent, Aristotelis præcepta exequeretur, & ad præcipua poematum genera conscribenda sapientissime adhiberet; tum Epicum, cuiusmodi est eius Italia liberata; tum Tragicum, qualis Sophonisba; tum Comicum, quales Simillimi ex Plauti Menęchmis conuersi. Cuius admirabile iudicium diligentissimis, atque optimis factum rationibus, de Comœdijs non soluta oratione, sed metro componendis, de Poemate Epico versibus pangendo, non similiter desinentibus, et cadentibus, quos recentiores appellant Rimas, sed ex veteri Græcorum, & Latinorum instituto in exitu, & terminatione inter se minime respondentibus, & de alijs rebus quàmplurimis, si homines sequendum prorsus esse, sibi persuasissent; longe meliora sine dubio omnia haberemus. Sed penes vsum, quamuis sæpe malum, vel contempta qualibet ratione, solet esse, vt ille ait, arbitrium, & vis, & norma loquendi. Huius igitur excellentißimi viri præclarißimis scriptis maximum Aristotelicæ de re Poetica doctrinæ lumen

iusto iudicio acceptum referre debemus ; quem tamen mirum est, ab eo, qui omnes reprehendit, & ne ipsi quidem Aristoteli parcere consueuit, Casteluetrio nusquam nominatum fuisse; vt, quemadmodum Corinthijs iniuriam Troiani intulissent, si eos inter hostes suos non accusassent, & hoc modo ipsos tamquàm ignauos tractassent, à quibus in bello nulla detrimenta accepissent, Quamobrem, vt ait Aristoteles, se conuicio affectos esse existimarunt Corinthij à Simonide, qui cecinit, Corinthios uero non accusat Ilium: sic Trissinus iniuria esse affectus videatur, qui quodam quasi contemptu ne insimulatus quidem sit. Idque non eo notamus, vt vllam ei viro, cuius memoriam beneuolentia colendam esse sempiterna ducimus, turpitudinis notam inuramus, quod fecisse Simonides in Corinthios existimatus est : sed vt obiter animum Casteluetrij, non solum in loquendo, sed etiam in tacendo, non modo in maledicendo, verum etiam in non maledicendo, patefaciamus, qui huiusmodi virum visus est aspernari.

XXVI.

DE TRAGOEDIA alia, & eadem.

AC Tragœdia quidem dici alia, uel eadem duobus modis potest; aut quia aliam, vel eandem fabulam habeat; qui est notissimus modus: aut quia aliam, vel eandem contineat plicationem, & solutionem; qui hoc in loco modus consideratur, additurque, cum multi bene plicent, & male soluant, poetis etiam, atque etiam laborandum esse, vt non solum in plicatione, sed etiam in solutione excellere videantur.

XXVII.
DE CONSTITVTIONE fabularum.

Dictum est supra, Tragœdiam quidem vnico solis ambitu claudi, vel paullo maiori, minoriuè spatio contineri: Epopœiam vero tempore indefinitam esse, & maiorem habere longitudinem, atque amplitudinē. Dictum quoque est Episodia in dramatibus concisa esse, in Epicis longa. Nunc obseruandum est, Tragœdiam Epopœicam cōstitutionem esse non oportere. Et totam Iliadem vnica Tragœdia comprehendendam non esse, sed vnam tantummodo eius partem. Expugnationem enim Ilij multas partes habere, vt Herculæ, Priami, Deiphobi, & aliarum personarum. Quicunque vero expugnationem Ilij totam fecerunt, & non ex parte, quemadmodum fecit Euripides, qui Hecubam scripsit, nec quemadmodum fecit Aeschylus; eos in errore versatos esse, inter quos fuisse Agathon dicitur. Sequimur autem illorū correctionem, qui legunt; Vt Euripides Hecubam. Nec putamus aut Euripidem, aut Aeschylum, aut vtrumque vituperari, sed potius laudari, & Agathoni opponi, atque anteferri.

XXVIII.
DE ADMIRABILI.

IN peripetijs, ac rebus illis, quæ vnius in alteram fortunam exprimunt mutationem, atque in simplicibus rebus, quæ simplicem constitutionem habent, et vnam mutationem in simplici genere personarum, vt in Oedipode, & Iocasta, nō duplicem constitutionem, & duas mutationes, vt vnam in procis, & ancillis Penelopes, alteram in Vlysse, & Telemacho,

de qua duplici fabula supra est pertractatum; assequuntur id, quod volũt, per admirabile; quod dicitur esse Tragicum, & gratum hominibus; vt cũ is, qui sapiens est, & improbus, deceptus est, quemadmodum Sisyphus ab Autolico, qui pecora ei surripuit: & cum is, qui fortis est, & iniustus, superatus est, vt Gallus ille à Torquato, de quo Gellius scribit libri noni capite decimo quarto: & ille alter Gallus, à Valerio Coruino, de quo idem, eiusdem libri capite vndecimo. Id autem verisimile Agathonis esse dicitur. Nam duplex est verisimile; vnum, quod fit plerunque, vt cum astutus decipit, & fortis superat: alterum, quod raro, & vocatur verisimile præter verisimile ex sententia Agathonis, vt cum astutus decipitur, & fortis superatur; de quo verisimili mentio fit quoque in libro secundo Rhetoricæ.

XXIX.

DE CHORO.

D*E choro supra est pertractatum, qui inducitur ad canendum. Hic chori natura est cognoscenda, qui inseritur in actione. Oportet autem existimare, chorum esse vnum de histrionibus, & partem totius. Ac intelligere debemus esse partem totius, cum inseritur in actione; non esse partem totius, cum inducitur ad canendum. Tametsi enim supra enumeratum est choricum inter Tragœdiæ partes: tamen ibi communiter de omnibus partibus, tum ijs, quæ extra actionem sunt fabulæ, tum ijs, quæ ipsius sunt actionis, agebatur. Cumque choricum hac cõmuni inspectione sit pars Tragœdiæ: non tamen est pars actionis Tragicæ; quæ secludit chorici harmoniam, & simul apparatum, cum etiam sine his esse queat, quemadmodum cum legitur. At chorus tunc est pars Tragicæ actionis, quæ vocatur totum, cum in ea inseritur, ac simul contendit, non vt apud Euripidem, sed vt apud Sophoclem. Nam apud Euripidem ea dicere fingitur, quæ quælibet alia persona facile posset. Apud Sophoclem*

uero

uero ea tantum, quæ ipsi conueniunt, tamquàm in actione inserto, ut in Oedipode. Munus igitur chori duplex est, aut canere, aut loqui, quatenus aliquid eius interest tamquàm vniuersum populum præ se ferentis. Itaque is loco nuntij, aut persona huiusmodi seruire non debet. Quæ vero conceduntur alijs, aut choris, aut poetis, propter inanem licentiam Poeticã, & sine ratione; magis sunt fabulæ, & Tragœdiæ alterius, ac aliena à natura eius fabulæ, & Tragœdiæ, quæ agitur. Quamobrem isti embolimæ cunt, id est, res improprias, & diuersas; quod primus Agathon fecisse dicitur; & est, perinde ac si qua disputatio ex vna fabula in alteram trãsferatur, vel etiam integrum episodium.

XXX.

DE SENTENTIA.

IAm de elocutione, & sententia agendum proponitur. Ac per sententiam ea intelligitur, quæ tum demonstrat, & soluit: tum perturbationes parat, vt misericordiam, uel metum, uel iram, & quæcunque talia sunt: tum amplificat, & diminuit. Ac quæ pertinẽt quidem ad sententiam, inquit philosophus, in ijs, quæ sunt de Rhetorica posita sunt: hoc enim methodi illius magis est proprium. Intelligunt explicatores librum secundum artis Rhetoricæ Aristotelis, ubi copiose de muneribus sententiæ, id est, de demonstrando, & refellendo, de perturbationibus animorum, de amplificatione est pertractatum. Sed quomodo in Poetica citari illi Aristotelis libri potuerunt, qui post Poeticam videntur esse facti, vt apparet ex primo libro, vbi Poeticæ auctoritas de ridiculis usurpatur, & tertio, ubi non semel fit ipsius Poeticæ mentio, & maxime ubi nominum species non enumerari dicuntur, quia in Poetica enumeratæ sint, & Translationis species non explicari, quia in eadem Poetica explicatæ sint? Nos putamus, Rhetoricam, quam habemus, fuisse posterius conscriptam: hoc autem

in

in loco uel intelligendos esse alios libros Aristotelis de Rhetorica (alia enim opera hac ipsa de re conscripsit, ut testatur Laertius) uel libros Rhetoricos aliorum; qui tamen uix intelligi queunt, si fides ipsi Aristoteli in proœmio Rhetoricæ habenda sit, affirmanti alios dicendi magistros nihil de enthymematibus tradidisse, id est, de demonstrationibus, & solutionibus, quæ ad primum pertinent sententiæ munus, sed omnia eorum præcepta de animorum commotionibus fuisse. Quamobrem melius esse censemus, ut dicatur, quæ attinent ad sententiam, in alijs Aristotelis libris ante Poeticam conscriptis posita fuisse, etiamsi postea eadem post Poeticæ confectionem in ijs Rhetoricæ, qui extant, libris fuerint repetita. Cum autem tria sint sententiæ munera, præcipuum sine dubio est, demonstrare, & soluere, omninoque rationem subijcere ad aliquid comprobandum, uel refellendum. Quod eam reddit certiorem, quàm sit opinio; ut illi, qui nullam esse differentiam inter sententiam, & opinionem existimant, falli nostro quidem iudicio uideantur. Nam (ut hanc rem animaduersione dignissimam obiter obseruemus) cum Iustinianus Imperator libro Institutionum primo scripserit, Responsa prudentum esse sententias, & opiniones eorum, quibus permissum erat iura condere, Theophilus auctor Græcus in Paraphrasi Institutionum exponit, sententias esse certas, ac minime dubias responsiones, ut cum iurisprudentes interrogati absque ulla respondent hæsitatione; opiniones uero suspensas, atque cũ titubatione prolatas responsiones, ut cum his uerbis utuntur, Puto, Existimo, Videtur, Fortasse, & similibus. Tiberius autem Decianus, qui fuit maximus nostrorum temporum iurisconsultus, & iuris ciuilis in principe Gymnasij Patauini loco clarissimus explicator, in capite secundo Apologiæ Responsorum editorum aduersus Alciatum hanc differentiam appellat nimis subtilem, et scrupulosam, ac dicit, uix se adduci posse, ut credat, Iustinianum ibi differentiam vllam inter opiniones, & sententias indicare voluisse, cum ex opinionib. Vlpiani quædam nullam habuerint dubitationem: contra vero ex sententijs Paulli nonnullæ fuisse dubiæ videantur. Vlpianus enim libros opinionum conscripsit: Paullus vero libros edidit receptarum sententiarum. Quibus adducitur, vt existimet, Iustinianum non responsa in sententias, & opiniones, tamquàm genus in suas species, diuisisse, sed synonimis, & idem significantibus verbis vsum esse. Quod quale sit, vt clarius intelligamus, paullo res altius videtur repetenda. Ac primum quidem obseruandum est, sententiam, & opinionem duobus modis considerari; aut tamquàm animi facultates; aut

tam-

tamquàm mentis enunciationes;vtroque autem modo plurimum inter se discrepare. Nam inter animi facultates rationis compotes numerantur, quæ duorum sunt generum;appetitionis duæ,voluntas,& præelectio, ex quibus voluntas semper bonum appetit,præelectio vero interdum bonum malo,interdum malum bono anteponit:cognitionis tres; tum mens, tum sententia,& mentis agitatio,quam barbari discursum appellant,tum opinio. Iam,cum mens apprehendat principia rerum omnium,vt Deum, cœlestes mentes,mundi primordia;& disciplinarum,vt omne totum esse maius sua parte,si ab æqualibus æqualia demus,cetera,quæ permanent, esse æqualia,atque alia eiusmodi;& rerum agendarum,vt colendam esse iustitiam,ab iniuria abstinendum,iniuriam propulsandam,ceteraque omnia, quæ ad tuendam hominum pertinent societatem;& rerum efficiendarum, vt ea omnia,quæ ad operis alicuius valent molitionem, atque effectionem;quorum omnium principiorum habitus intelligentia nuncupatur: cũ ad mentis lumen accedit sententia,tunc existit in rebus omnibus sapientia,in disciplinis scientia,in rebus peragendis prudentia,in rebus efficiendis ars. Quoniam vero in rebus incertis,& fortuitis proprium opinionis munus versatur;idcirco ipsa fallax,incerta,instabilis censetur, vt ab ea nullus intelligendi habitus proficiscatur, sed tantum quædam habeatur præparatio ad scientiam,& prudentiam,si de ijs,quæ sciri queunt, & de ijs,quæ aguntur,bene opinemur. Atque hinc intelligi facile potest,quanta sit in animo nostro inter sententiam,& opinionem differentia. Præterea quandoque accipiuntur tamquàm mentis enunciationes. Nam opinio in Rhetorica intelligitur enunciatio apposita ad persuadendum,sic apud Arist. initio libri secundi;Ex quibus quidem rebus oporteat tum suadere, tum dissuadere,tum vituperare,tum laudare,tum accusare, tum defendere,& cuiusmodi opiniones , & propositiones utiles sint ad conficiendam harum rerum fidem,hactenus dictum est. Et in eodem libro;Quoniam circa vnumquodque genus orationum diuersus quidam finis erat,ac de ijs omnibus dictæ sunt opiniones,& propositiones,& cetera. Huiusmodi autem enunciationes ualent quidem ad conficiendum enthymema,vel syllogismum:sed non sunt enthymema,vel syllogismus;ut apparet etiam de illa opinionis prolatione, quæ uocatur obiectio, de qua ita libro secundo Rhetoricæ scriptum est;Obiectio non est enthymema, sed, quemadmodum in Topicis,dicere opinionem aliquam, ex qua erit manifestum aut non esse syllogismo conclusum,aut falsi aliquid assumptum. Cum igitur opinio sit apposita ad persuadendum,eius natura est, vt plerunque non sit necessaria.

cessaria. Quod sibi voluisse Theophilus videtur, cum eam dubiam esse dixit responsionem. Praeterea demonstratio non est. Nam si esset, vel enthymematis, vel syllogismi formam haberet. Qua ratione distinguitur à sententia, quae demonstrat aliquid aut esse, aut non esse; & hoc modo incertior est, quàm ipsa sententia. Neque vero huiusmodi explicationi illud obsistit, quod de Vlpiano dictum est, qui cum libros scripsisset opinionum, in eis tamen res certas complexus est. Illud enim Vlpiani modestiae tribuendum videtur. Vel, tametsi opinio non necessaria est, sed sua natura incerta: fieri tamen potest, vt ab eo, qui opinatur, certa, & firma habeatur. Quae caussa est, cur homines nimium fidentes opinioni suae in grauissimos, ac perniciosissimos errores inducantur, dum eas pro sapientia, pro scientia, pro prudentia venditant. Vel quandoque opinio est necessaria, & manifesta, nullamque habet dubitationem; vt, quod scribit Theophilus de dubia responsione, id plerunque intelligendum esse videatur. Veniamus ad naturam sententiae, quae quandoque est illa, quae Graece nominatur γνώμη: quandoque, quae vocatur διάνοια. prima libro secundo Rhetoricae definitur, vt sit enunciatio de vniuersalibus, quae ad agendum pertinent; & alia dicitur esse sine subiectione rationis, per se manifesta: alia manifesta, dum dicitur: alia cum subiectione rationis, ita vt sit pars enthymematis: alia, quae rationem habet inclusam, ita vt sit enthymematica; quarum omnium exempla ex Aristotele sunt petenda. Atque haec non est illa, quam nunc cum opinione conferimus; quae profecto si conferretur, facili distingui negocio posset, propterea quòd est manifesta vel per se, vel dum dicitur, vel per subiectionem rationis expressam, vel per subiectionem rationis aliquo modo significatam. Alteram sententiam cum supra traditum sit, significare ea omnia, quae demonstrant aliquid, aut enunciant mentem; additur hoc in loco, tribus fungi muneribus, vt demonstret, & soluat; vt perturbationes paret; vt amplificet, & diminuat; vnde illud interesse constat, quòd opinio est simplex enunciatio mentis: sententia vero non simplex, sed quae vel demonstrat, & soluit, vel ad aliquem affectum animos impellit, vel amplificat, & diminuit. Omnino ex his omnibus illud conficitur, certiorem esse sententiam, quàm opinionem, quòd illa afferat rationem, haec non afferat. Neque huiusmodi explicatio eo perturbatur; quòd Paullus in libris receptarum sententiarum vsus sit verbis dubitationem denotantibus, dum quaedam sibi videri conscripsit: id enim, vt modo etiam de Vlpiano notauimus, modestiae caussa fecisse existimandus est. Quod proprium fuit Academicorum nouorum, vt nihil certo affirmarent,

uent, vel negarent, omnia sibi videri, vel non videri profiterentur. Illas igitur receptas sententias appellauit, quòd ab alijs receptæ essent, atque aliorum vsu comprobatæ, sed ipse de illis egit modeste. Quamobrem Theophilum propius, quàm Decianum, opinionis, & sententiæ naturam attigisse existimamus. Quamquam Decianus primus non fuit, qui Theophilum reprehendere hac de re ausus sit: sed ante eum Franciscus Hotomanus in Responsorum definitionem à Iustiniano allatam sic scripsit; Theophilus differentiam inter sententias, & opiniones constituit: sed cum aliud sit ius certum, aliud incertum; ac de certo quidem, quod scripto, & consuetudine continetur, Iurisconsulti, vt ait Fabius, non consulantur; neque vero si maximæ legis carmen interrogati pronunciarent, ius tamen facerent, quod hoc loco quærebamus: certæ, & indubitatæ esse illorum responsiones non poterant. Hæc ille; ad quem illa responsio est, eatenus respõsiones de iure incerto certas, & indubitatas esse posse, quatenus certis, et firmis rationibus persuasæ sint. Opinionem autem sua natura non admodum certam esse, declarauit quoque philosophus libro secundo Ethicorum, vbi eam distinxit à præelectione ad hunc modum; Et præeligimus quidem, quæ maxime scimus bona esse: opinamur vero, quæ non admodum scimus. Iam ad præcepta Poetica reuertamur. Manifestum est, inquit philosophus, & in rebus vtendum esse ijsdem formis, cum miserabilia, aut terribilia, aut magna, aut verisimilia parare oportuerit. Robortellus exponit, Aristotelem præcipere, vt poeta respiciat ad naturam rerum, vt ex ijs eliciat aptas sententias, quibus omnia explicet venuste, ornate, & accommodate. Alij nostro quidem iudicio melius, id sibi Aristotelem voluisse censent, siquando contingat, vt in Tragœdijs, & Comœdijs, quæ res, & actiones præ sermonibus oratorijs dicuntur, misericordia mouenda sit, aut horror quidam incutiendus, aut amplificandum, aut probandum, & suadendum aliquid, ex ijsdem earum rerum proprijs locis, & propositionibus eas res omnes comparandas esse. Formas enim huiusmodi locos, & propositiones nuncupari, libro primo Rhetoricæ traditum est. Addit philosophus, eam solum differentiam esse, quòd cum hæ partes communes sint fabulæ, & sententiæ, eas in fabula apparere oportet, non in modum doctrinæ, & per probationem verbis expressam, sed per ipsam rerum constitutionem: in sententia vero in modum doctrinæ, & per ipsam orationem. Quod enim, inquit, esset dicentis munus, si alio modo apparerent iucunda, & non per orationem? In hunc locum sic scribit Madius; Vox illa ἡδία non per η, sed ι, & tenui spiritu scribenda est, & tunc sensus erit apertus.

apertus. Nam per ideam intelligit probationem, ſolutionem, miſericordiam, & cetera huiuſmodi. Res enim ſecundum ſe conſideratæ rerum ideæ dicuntur. Hæc ille. Nos vero cum illis ſentimus, qui cenſent nullum uſum præſtare in hac ſignificatione ideam, & abſurdum eſſe dicere per ideam intelligi probationem, ſolutionem, miſericordiam, ac retinendam eſſe uocem ἡδέα, id eſt, iucunda; etiam ſi illorum explicationem non ſequamur, vt ſeiungat Philoſophus Tragicum à Rhetorico, ſed putemus, ut ſupra notauimus, quod attinet ad illa tria munera, quæ ſententiæ tribuuntur, fabulam à ſententia diſtingui, quia in fabula quidem non per orationem, in ſententia vero per orationem, ipſa præſtentur.

XXXI.

PRONVNCIATIONEM pertinere ad elocutionem.

AD elocutionem autem duas traditur ſpecies pertinere; vnam, quæ figuras ſpectat elocutionis, id eſt, uocem, uultum, geſtus corporis, totamque pronunciationem, & actionem, quæ eſt hiſtrionicæ, & eius, qui talem habeat facultatem architectonicam, & principem, utentem ipſa pronunciatione, cantu, ſono, geſtu corporis: alteram ornamenti, quæ inferius explicabitur. Ac varij quidem ſunt modi pronunciandi, vt mandandi, precandi, narrandi, minandi, interrogandi, reprehendendi, ex quorum cognitione, vel ignorantia nihil euenit Poeticæ, quod magni eſſe momenti videatur. Ac Protagoras quidem Homerum reprehendebat in principio Iliadis, proferens illud modo imperandi; Iram Diua cane; quaſi Homerus Deæ imperare voluiſſet. Quod tamen proferri poteſt, & debet modo precandi. Verum id magis ad Hiſtrionicam, quàm ad Poeticam pertinet. Quamobrem omittatur, inquit philoſophus, vt quæ alterius, non Poeticæ

sit contemplatio. Robortellus per illam alteram intelligi Grammaticam opinatur. Tamen, vt alij quoque obseruarunt, id spectare ad Hypocriticam à Grammatica longe diuersam, paullo supra dictum est.

XXXII.

ELOCVTIONIS partes.

Partes elocutionis aut significare, & diuidi queunt, vt oratio, verbum, nomen, casus : aut non significare, sed diuidi, vt articulus, coniunctio, syllaba : aut nec significare, nec diuidi, vt elementum, seu littera.

XXXIII.


NOMINIS SPECIES.

Nomen autem generatim sumptum etiam verbum comprehendit, & è conuerso. Ac nominis species est, aut simplex, quæ ex non significantibus constat, vel litteris, vt Lux, vel syllabis, vt Lumen : aut duplex, partim ex significante, & non significante, vt apud Ennium Expectorare, partim ex significantibus, vt Altitonans. Multiplex quoque esse potest, vt Hermocaicoxanthus ex tribus fluuiorum nominibus, Hermi, Caici, Xanthi. Nominum vero genera octo enumerantur; Proprium, vt panis, vinum, sal, & alia huiusmodi, quæ natiua sunt, & cum rebus ipsis na- scun-


scuntur: lingua, scilicet aliena, & nomen alienæ linguæ, vt Gruppare linguæ Siculorum, Cascus linguæ Sabinorum: translatio, vt limen, lumen, flumen, fulmen eloquentiæ Cicero: ornatus, per quem Victorius intelligit epithetum, & additum ad nomen, vt Matricida, vel patris vindex Orestes. Madius multa ad hunc illustrandum locum affert, quibus tamen sibi satisfieri ingenue negat. Robortellus existimat significari ornatum illum, qui per totam orationem diffunditur, & ex prioribus omnibus qualitatibus conflatur. Quidam Robortelli explicationem merito reprehendunt, quòd philosophus, vt omnes intelligunt, de vno aliquo nomine agat, qui ornatus appellatur, vt reliqua nomina sua appellatione prædita sunt, quorum alia dicuntur metaphoræ, alia propria, & cetera similiter. ac putant denotari illud nominum genus, quod ob sui venustatem, pulchritudinemque, & quandam etiam quasi maiestatem non mediocriter expolire orationem, atque exornare possit, siue illud sit epithetum, siue secus; de quo ita scribit Demetrius; Efficiunt autem lepidum genus orationis & ea, quæ dicuntur pulchra vocabula: ac definit ipsa Theophrastus in hunc modum; Pulchritudo nominis est, quod ad auditum, vel aspectum iucundum est, vel quod est sententia honestum. Exempla sunt apud eundẽ Demetrium ῥοδόχροος, quæ uox aspectu iucunda est ob memoriam rosæ mirifice oculos nostros, cum uisa est, oblectantis: καλλίστρατος, quæ uox audita iucunda est ob concursum duarum litterarum λλ, in se quiddam sonori habentium: ἀρχαῖοι, quæ uox priscos homines significans propter sententiam plena dignitatis est, quippe quæ originem trahat à principio, quod ἀρχὴ Græce nominatur. Nos vero hanc idcirco non sequimur explicationem, quòd hoc nominum genus, à Demetrio lepidum, venustum, & pulchrum nuncupatum, cum proprijs, & alijs generibus permisceri, ac confundi nobis videatur. Itaque explicationi Victorij adhuc stamus. Additur inter genera nominum factum, vt fauor, urbanus, obsequium: protractum, vt Mauors, dicier: Subtractum, vt Amasti, Audisti: immutatum, ut dexterior pro dextero, senior pro sene. Ex his autem octo nominum generibus quinque exoriuntur diuisiones, prout nomina quinque modis considerantur. Nam ratione gentis, in qua orta sunt, dicuntur esse aut propria, aut linguæ alienæ: ratione significationis, aut propria, aut translata: ratione effectus, aut propria, quæ valent ad docendum, aut ornatus, epitheta, & addita ad nomen, quæ ualent ad commouendum: ratione temporis, aut propria, aut facta: ratione formæ, aut propria, aut mutata tribus modis, ut sint uel protracta, quæ seruant, quod suum

est,

est, & aliquid amplius acquirunt; vel subtracta, quæ amittunt, quod suũ est; vel immutata, quæ aliquid de suo amittunt, & de alieno acquirunt. Dicitur proprium, quo singuli, qui sunt in aliquo populo, vtuntur, id est, natiuum, & cum re ipsa in aliqua gente natum. Lingua, & nomen peregrinum est illud, quo diuersi vtuntur, ita vt, quod in una gente est proprium, in altera sit peregrinum. Sygynnon, id est, lanceola, Cyprijs erat proprium, alijs peregrinum. Definitur translatio, vt sit nominis alieni illatio. Quadruplex autem est translatio, aut à genere ad speciem, vt stare pro in portu esse apud Homerum libro vltimo Odyssex: aut à specie ad genus, vt decem millia pro multis libro secundo Iliadis: aut à specie ad speciem, ut haurire pro incidere: aut ex proportione, in qua sicut se habet secundum ad primum, sic quartum ad tertium, vt liceat dicere pro secundo quartum, & pro quarto secundum.



Dici potest scutum pro poculo, & poculum pro scuto. Interdum uero apponunt pro quo dicit, Ad quod est. pro quo scilicet dicit translatum, ad quod ipsum translatum refertur; vt pro scuto dicit translatum poculum: ipsum uero translatum poculum refertur ad Bacchum. Apponunt scutum ad Bacchum, vt dicant scutum Bacchi. Et pro poculo dicit translatum scutum: ipsum uero translatum scutum refertur ad Martem. Apponunt poculum ad Martem, vt dicant poculum Martis. Dicet igitur aliquis & scutum poculum Martis, & poculum scutum Bacchi. præterea similiter se habet vesper ad diem, & senectus ad uitam.



Itaque dicet aliquis uesperam senectutem diei, & senectutem vesperã uitæ. Empedocles uero dixit occasum uitæ pro uespera. Cum autem positũ non est nomen, dicetur translatum.

1. semen.

1. semen. ———— *2. serere.*

3. flamma. ———— *4. serere, cum sol emittit radios.*

Quandoque in translatione quippiam negatur; vt si dicatur pro scuto poculum non ad usum uini: pro poculo scutum non ad usum defensionis. Sequebatur, vt, quid esset ornatus, à philosopho explicaretur. Sed hæc explicatio iniuria temporum desideratur. Factum nomen est, quod nouatum est. Cicero in Partitionibus oratorijs quattuor nouandorum nominum enumerat modos, similitudinem, imitationem, inflexionem, adiunctionem uerborum. Protractum est cum aut syllaba natura breuis fit longa per additionem aliquam, vt Iupiter Iuppiter, Religio Relligio: aut additur syllaba, vt Mars Mauors, Dici Dicier. Subtractum est, ut Dixti pro Dixisti, Audisti pro Audiuisti. Immutatum est, ut senior pro senex, Dexterior mamma pro dextera.

XXXIIII.

DE NOMINVM GENERIBVS, quæ sunt aut virilia, aut muliebria, aut interiecta, quod traditum est, totum Grammaticis relinquimus.

DE

XXXV.

DE NOMINIBVS proprijs cum alijs temperandis.

DVo lumina in elocutione spectanda sunt maxime, Perspicuum, & Grande. Perspicuum nomina propria efficiunt; sed non grande; vt Poesis Cleophontis, & Stheneli erat quidem perspicua, sed nō grandis. At grande faciunt ea, quæ aliquo modo peregrina sunt, ut linguæ, translationes, protractiones, & quidquid præter propriū est; sed non perspicuū. Nā si inter cætera translationes, & linguæ proprijs non temperentur, duo exoriuntur vitia, ænigma ex translationibus, barbarismus ex linguis. Aenigmatis enim forma est, vt qui dicit, copulet ea, quæ fieri nequeunt; quod non ex nominibus proprijs, sed ex translationibus contingit, vt Virum vidi igne æs uiro agglutinantem. Barbarismus uero est ex linguarum diuersitate. Quem Aristotelis locum si Gellius animaduertisset, profecto libri quinti capite vigesimo non scripsisset, se neque vocem solæcismi, neque vocabulum barbarismi vnquam apud Græcorum idoneos inuenisse. Præterea si propria alijs nominum generibus non temperentur, vt linguis, translationibus, ornatu, & reliquis, quæ superius explicata sunt, alia oriuntur vitia, vulgare, & humile. Igitur non vulgare, nec humile, sed grande efficiet, lingua, & translatio, & ornatus, & aliæ, quæ dictæ sunt, formæ, Perspicuum vero, & non ænigma, nec barbarismum faciet proprium. Ac multum quidem ualent ad perspicuam elocutionem, & non uulgarem protractiones, subtractiones, & immutationes nominum, de quibus supra est pertractatum: propterea quòd aliquid habent præter consuetum, quod efficit non uulgare; & aliquid quoque commune cum eo, quod consuetum est, quod efficit perspicuum.

XXXVI.

DE MODO SERVANdo in vsu variorum nominum.

His omnibus loquendi formis qui vtuntur, immerito reprehenduntur, vt Homerus ab Euclide uetustiori, qui sic fieri dicebat, ut facile uersus confingerentur, si quantumlibet liceret extendere, & ex spondeo Iambum facere. At respondet philosophus, modum esse adhibendum. Verborum enim quædam uitia sunt naturalia, quædam, vt barbari loquuntur, per accidens. Naturalia sunt, propriorum vulgare, & humile: translatorum ænigma: linguarum barbarismus. per accidēs sunt, vt cum quis his omnibus formis præter modum vtitur, &, quantum velit, extendit. Moderatus vero vsus laudabilis est. Etenim, inquit philosophus, qui translationibus, & linguis, & alijs formis vteretur indecore, & studiose ad ridicula, idem efficeret, idest, nihil interesset, vti illis formis indecenter, & vsurpare easdem consulto, ac de industria ad hanc vnā rem, vt ridicula constitueretur oratio. Idem enim efficeret, & qui immodice ipsis vteretur, & qui dedita opera ad risum captandum. Quare qui suam esse ridiculam orationem non vult, in talibus nominum generibus adhibere modum debet. Tradit præterea seruandum esse id, quod conuenit, & quibusdam vtitur exemplis; quorum primum est pro proprio Aeschyli minus conuenienti translatum Euripidis conuenientius, pro ἐσθίει comedit, θοινᾶται epulatur, de Phagedęna; vnde perspicitur quandoque magis translata, quām propria conuenire. Alterum exemplum tria habet translata conuenientia pro tribus proprijs nō conuenientibus, id est, de Vlysse, qui Poliphemum cęcauerat, ὀλίγος paucus pro μικρὸς paruus: οὐτιδανὸς nihili, & ad venditionem minime accommodatus pro ἀσθενικὸς debilis: ἀεικὴς indecens pro ἀειδὴς deformis. Tertium exemplum duo continet translata, δίφρον ἀεικέλιον sedile non conueniēs pro μοχθηρὸν malum ad sedendum: & ὀλίγην τράπεζαν paucam mensam, pro μικρὰν paruam. Quartū habet vnum translatū, ἠϊόνες κράζουσιν,

littera clamant, quod rebus quoque sensu carentibus tribuitur. Cum autem Ariphrades maledicere Tragœdis solitus esset, propterea quòd uerbis modo traiectis, modo inusitatis vteretur, id defendit Philosophus, quia huiusmodi voces illud, quod minime vulgare est, in elocutione efficiant, idque Ariphradem ignorasse affirmat. Cumque magnum esse testetur, aliis verborum generibus congruenter uti, nihil tamen maius esse dicit, quàm metaphoricum esse; nec licere metaphoras ab alio sumere; quod duplicem habet explicationem tum hoc in loco, tum libro tertio Rhetoricæ, vbi idē traditum est, aut ab alio scriptore, aut à diuerso, alieno, & parum simili; additque metaphoris vti boni ingenij signum esse, bene enim transferre esse simile intueri, quod ad bonum ingenium pertinet. postremo de conuenienti elocutione non nihil præcipit. Duplicia enim ex eius sententia maxime Dithyrambicis conueniunt propter orationis granditatem: linguæ, & aliena nomina heroicis, qui id, quod vulgare est, vitare consueuerunt: translationes Iambicis. Omnino in heroicis omnia vtilia sunt, etiam linguæ diuersæ. In Iambicis vero ea potissimum adhibenda sunt, quæ ad communem locutionem videntur esse accommodata, vt propria, translationes, ornatus. Adhuc, cum in Tragœdia sex qualitatis partes spectentur, fabula, mores, sententia, dictio, harmonia, apparatus; de fabula Tragica, de moribus personæ Tragicæ, de sententia, de dictione est pertractatum, ac potissimum de fabula, ad quam cetera omnia, tamquàm ad finem, referuntur. Reliquum erat, vt de harmonia, deque apparatu philosophus copiosius ageret, quas partes vix attigit. Tamen de his non agit, tamquàm minus poeticorum indigentibus præceptorum. Quamobrem cum de Tragœdia satis se existimet conscripsisse, quæ est prima pars propositionis suæ, ad Epopœiam, de qua secundo loco erat pertractandum, egregiam, & præclaram operam suam conuertit.

DE

XXXVII.

DE EPOPOEIA, ET historia, cui non est similis epopœia.

Definitur Epopœia, vt sit imitatio, per enarrationem, in metro, vnius actionis, totius, & perfectæ, cui nō sunt similes historiæ consuetæ. Dicitur imitatio, quia omnis Poesis huiusmodi est: Per enarrationem, vt à Poesi agente, qualis est Tragœdia, & Comœdia, segregetur: In metro, scilicet solo, non adhibita simul saltatione, & harmonia, vt differre tum à Tragœdia, & Comœdia, tum vero etiam à Dithyrambica, & Nomica, quæ tribus vtebantur instrumentis, dignoscatur: Vnius actionis, quæ vnius quoque personæ sit, quia si vnam multarum personarum actionem complecteretur, vt Thebais Statij; aut multas multarum personarum actiones, vt Metamorphosis Ouidij; aut multas vnius personæ, vt Herculeis Panyasis, & Theseis, quæ supra commemoratæ sunt; aliqua digna esset reprehensione: Totius, habentis scilicet principium, medium, & finem; quod supra est declaratum: Et perfectæ, id est, non solum vnius, & totius; verum etiam iustæ magnitudinis; eiusmodi, vt fieri potuisse videatur; non episodicæ; admirabilis; implexæ; perpessionem habentis; quas perfectæ fabulæ proprietates supra explicauimus: Cui non sunt similes historiæ consuetæ; quæ aut exponunt res pertinentes ad diuersos fines, aut ad vnum finem. Si ad diuersos fines, aut vnius temporis, aut plurium temporum. Si vnius temporis, aut circa vnam personam, aut circa plures, ut ex his apparet verbis; In quibus necesse est, non vnius actionis efficere expositionem, sed vnius temporis, quæcunque in eo euenerunt, circa vnum, vel plures, quorum vnumquodque, vt fors tulit, alterum respicit. Quemadmodum enim secundum eadem tempora & in Salamine facta est naualis pugna, & in Sicilia Carthaginiensium pugna, nequaquam ad eundem tendentes finem: sic & cetera. Historiæ igitur vnius temporis aut circa unam personam sunt, vt de consulatu Ciceronis, de dictatura Syllæ: aut circa plures, vt de rebus gestis Olympiade septuagesima quincta, in qua euenit naualis pugna ad Artemisium, & Salaminem, duce Themistocle Atheniensi aduersus Xersem Persarum Regem: & Carthaginiensium pugna in

Sicilia, cum Amilcar Gelonem uicit: & præter illa, quæ à philosopho commemorantur, pugna quoque ad Thermopylas cum exercitu Xerxis duce Leonida Rege, cum Lacedemonij illi ad vnum cæsi sunt. Si exponunt res pertinentes ad diuersos fines, diuersorum temporum; id euenit dupliciter, aut temporum inter se consequentium, aut non consequentium. De temporibus consequentibus hæc sunt uerba; Sic & in temporibus consequentibus aliquando fit alterum cum altero, ex quibus non est vnus finis. Cum autem mentio fiat temporum inter se consequentium; intelligendæ simul sunt historiæ his oppositæ temporum inter se non consequentium, & quidem vtroque modo, quemadmodum superius dicebatur, aut circa vnum, aut circa plures. Quare, si exponunt res temporum inter se consequentium, id contingit dupliciter, aut circa vnam personam, cuiusmodi sunt vitæ à Plutarcho descriptę, qualisque erat Herculeis Panyasis, & Theseis incerti auctoris: aut circa plures, vt Chronica, Diaria, Annales. Si temporum inter se non consequentium, id quoque duobus modis; aut circa vnam personam, vt si ad capita quædam, & genera redigantur dicta, & facta memorabilia Cęsaris, vel stratagemata Pompeij, vel alia similiter: aut circa plures, cuiusmodi sunt libri dictorum, & factorum memorabilium, libri stratagematum, & alij non vnius, sed plurimorum res gestas enarrantes. Si exprimunt res pertinentes ad eundem finem, & quidem singulatim omnes in aliqua materia, prout gestæ sint, quod longum ambitum, & magnam habet varietatem, siue circa vnum, siue circa plures; simpliciter dicuntur historiæ, vt narratio totius belli Troiani, narratio totius itineris Vlyssis, historia belli Numantini, historia belli Mithridatici, & aliæ eodem modo.

Hic, antequàm ad Epopœiam cum historia conferendam accedamus, liceat nobis aliquantisper digredi, vt, quemadmodum supra pręcipuos quosdam poetas enumerauimus, sic hoc in loco, vbi tam exacte à philosopho omnia historiarum genera indicata sunt, ipsarum historiarum fontes quasi digito commonstremus. Si qui vero sunt, quibus huiusmodi digressiones minus probentur, possunt eas arbitratu suo transilire. Nos sperantes operam nostram, qualiscunque sit, non nullis esse profuturam, vniuersam historiam breuiter attingemus.

Quæ omnem ætatem à Mundi primordijs vsque ad hanc tempestatem annis quinquies mille quingentis vltra quadraginta cōplectitur. Nam ex Biblijs sacris patet, à primo omnium parente vsque ad Seruatorem nostrū ter mille nongentos sexaginta duos intercessisse, qui sic colliguntur. Ab

Adamo ad Noemum mille sexcenti quinquaginta sex, cum sua rebus omnibus nomina ex obseruata cuiusque rei natura imposita sunt, & propter auctam hominum malitiã, atque improbitatem vniuersalis eluuio facta est. A Noemo ad Abrahamum ducenti nonaginta duo, cum hominibus Nembroti suasu in altissima turri exędificanda insanientibus linguarum varietatem, & dissimilitudinem immisit Deus, vt se inuicem non intelligentes ab incepto iã opere cessarẽt; & ipsi Abrahamo annos nato septuaginta quinque dedit de semine sancto promissionem instituta circuncisione. A promissione ad legem Mosi datam quadringenti triginta, cum diuersi per orbem terrarum principatus exorti sunt, quorum celeberrimus fuit dominatus Assyriorum sub Nino, & Semiramide. A traditione legis ad templum Salomonis quadringenti octoginta, quo temporum spatio dicũt fuisse Deucalionis, & Pyrrhæ eluuionem, Bacchum in India triumphasse, Argonautarum nauigationem euenisse, Herculem varios labores suscepisse, bellum Thebanum gestum esse, bellum quoque Troianum confectum esse, quod dicitur fuisse circiter annos Mundi bis mille septingentos octoginta duos. Ab ædificatione templi ad excidium Hierosolymæ quadringenti triginta, & vnus, cum Sardanapalus à Nino trigesimus, & vltimus Assyriorum Rex suum euertit imperium ab Arbace Medorum Rege occupatum, & Roma quoque condita est, quod factum esse anno quadringentesimo trigesimo post Ilium captum testatur Dionysius. Ab excidio Hierosolymæ ad Cyrum Persarum Regem septuaginta, cum regnum Assyriorum usque ad Astyagem Regem à Medis retentum ad Persas translatum est. A Cyro ad Alexandrum ducenti, cum Græcorum extitit Monarchia. Ab Alexandro ad tempus Augusti, & ad Christum natum trecenti uiginti octo, cum Romanorum Monarchia est constituta.

1656
292
75
430
480
431
70
200
328

3962

Quibus

Quibus omnibus annis si addantur anni Christi mille quingenti octoginta quinque, efficientur quinquies mille quadringenti quadraginta septem.

3962
1585

5547

Vniuersa igitur historia ad quattuor redigi solet Monarchias, quibus prapotens Deus totius fere terrarum orbis imperium permisit, vt eis alij Reges minus potentes subiecti plurimi essent, & tributum penderent; quas Daniel cap. 2. ex somnio Nabuchodonosoris de statua partim aurea, partim argẽtea, partim ęrea, partim ferrea, et cap. 7. ex suo ipsius de quattuor belluis somnio interpretatus est; quasq. ferunt fuisse Assyriorũ, Persarũ, Gracorũ, Romanorũ. Ac imperium quidem Assyriorũ in superiore Asia florentissimum stetit, à quibus missum fuisse auxilium Troianis duce Memnone, vetera monumenta testantur. Hoc imperium translatum postea est ad Medos, apud quos diu nullus fuit Rex, qui omnibus imperaret: sed singulę ciuitates populari imperio vsæ sunt: tãdẽ uero Regib. intro ductis regnatum est vsque ad Astyagem, quem Cyrus, Persęque deuicerunt; vnde dominatus Persarum florere plurimum cepit, à Cyro, & Cambyse præclaris rebus gestis in primis illustratus. De Monarchia Assyriorum legendus est Moses, qui continuam seriem annorum bis mille quadringentorum nonaginta trium ab initio Mundi vsque ad mortem suam deduxit: & liber Iosuæ, & Iudicum, qui historiam à morte Mosis vsque ad annos Mundi bis mille octingentos decem continuauit. De Monarchia Persarum Herodotus, qui tempore Xerxis initio belli Peloponnesiaci in Grçcia floruit circiter annos Mundi ter mille quingentos quadraginta. De vtraque non solum Diodorus, Iustinus, Orosius, qui quo tempore vixerint, inferius dicetur, verum etiam Iosephus, qui claruit anno Christi nonagesimo nono, & Eusebius, qui Chronologiam omnium Mundi temporum à primo initio vsque ad annum Christi trecentesimum trigesimum contexuit. Libri enim quos habemus sub nomine illius Berosi, qui Alexandri fuit tempore, quosque Manetho, & Metasthenes continuarunt, fuisse simulati, & suppositi existimantur. Secutus est Alexander, qui

Persas subegit, & omne prope Grecorum imperium occupauit. Post mortem Alexandri, Monarchia eius in multa veluti membra secta est, occupantibus ipsius ducibus prouincias illas, quas regebant. Atque hinc Reges plurimi Macedoniæ, Asiæ, Syriæ, Aegypti originem habuerunt. Cum autem Macedonum nullus imperare Parthis dignum iudicasset, eorum imperiũ socio cuidam peregrino, nomine Satagenori, concessum est; cuius successores regnarunt vsque ad Artabanum, qui ab Artaxerse Persa regno priuatus est. Quamobrem Persæ Cyro, & Cambyse Regibus celeberrimi, à Macedonibus sub Alexandro Magno Orientis imperio deiecti, tandem M. Aurelio Alexandro Romanis imperante Parthos deuicerunt, nomenque Parthicum deleuerunt, vt non amplius Parthorum, sed Persarum regnum nominatum sit vsque ad Ormisdam Regem, quem Sarraceni regno priuarunt, anno Christi sexcentesimo trigesimo nono, Mahometho regnante, ita vt illud regnum appellari Sarracenorum cœptum sit, quod nunc tenent Psophiani Turcarum regno finitimi, in partem Orientalis imperij ab ipsis Sarracenis receptorum. Nam cum bellum inter eos gereretur, circiter annos Christi mille, & septuaginta, ad id conditionis peruentum est, vt Turcæ Mahomethi religionem sequerentur, ac diuiso imperio in Oriente dominarentur. Atque hi fuerunt successus tertiæ Monarchiæ. Iam de rebus Græcorum legendi sunt in primis is, qui modo nominatus est, Herodotus: Thucydides, qui historiam annorum quinquaginta inter Xerxis fugam, vbi Herodotus desinit, & initium belli Peloponnesiaci interiectorum complectitur; ac deinceps bellum suo tempore inter Athenienses, & Peloponnesios gestum narrat vsque ad annum vigesimum primum Peloponnesiaci belli: Xenophon, qui historiam Thucydidis continuat in septem libris rerum Græcarum vsque ad prælium Epaminondæ ad Mantineam, & annos Mundi ter mille sexcentos: præterea Diodorus, & Plutarchus, quorum tempora inferius apparebunt. Et de rebus Alexandri præter Diodorum, & Plutarchum Arrianus Nicomediensis, qui florens circa annum Christi centesimum quadragesimum eius historiam octo libris Græce explicauit: atque inter Latinos Q. Curtius, qui quo tempore fuerit, non satis constat. De successoribus Alexandri Diodorus, & præter Diodorum Iustinus, de quo etiam infra. De Regibus uero Syriæ, & Asiæ à Seleuco Alexandri successore vsque ad Antiochum à Pompeio captum, idem Iustinus, & Appianus in Syriacis, cuius quoque tempus postea aperietur. Maximam vero afferunt lucem Græcorum historiæ Pausanias, qui claruisse fertur anno Christi centesimo quadragesimo:

mo: Strabo, qui Tiberij Cęsaris tempore orbem terrarum descripsit: Athenęus, qui M. Antonini temporibus floruit: Suidas, qui non solum vocabulorum interpretationes vltimis eruditorum hominum temporibus collegit: verum etiam multa ad historiam pertinentia notauit. Regum Parthorum, Persarum, Sarracenorum Onuphrius Panuuinus inter recentiores clarissimus breuem fecit enumeratione͂. Robertus Monachus de bello aduersus Sarracenos octo libros conscripsit, & claruit anno Christi millesimo octogesimo septimo. Chalcondylas res Turcarum litteris consignauit ab anno Christi millesimo trecentesimo, quo illi regnare cœperunt, vsque ad annum millesimum quadringentesimum quinquagesimum tertiu͂, quo Constantinopolim occuparunt, ac deinceps vsque ad sexagesimum quartum, vltra millesimum. & quadringentesimum. Quod ad quartam attinet Monarchiam, ducentos quadraginta quattuor annos tenuerunt Romam Reges. Quingentos circiter annos Resp. stetit vsque ad Augustum. Consecuti sunt alij imperatores vario rerum euentu usque ad Constantinum, qui primus in Oriente imperator fuit, altero imperatore in Occidente relicto, ac imperio inter duos imperatores diuiso; quique mirabiliter Christianæ fauit religioni, vnde dominari Romani Pontifices cœperunt. Imperium autem à Constantino ordinatum ualde diminutum est, tum per Getas, à recentioribus Gothos nominatos, qui urbem Romam anno Christi quadringentesimo vndecimo ceperunt, incenderunt, populati sunt, & Rauennæ regni sedem habuerunt, regnumq́ue annos septuaginta tenuerunt. Tum per Hunnos, quorum immanissimus Rex Atila Romano imperio sub Valentiniano tertio ingentes intulit calamitates, urbes excidit, prouincias deuastauit, & omnia igne, ferroq́ue consumpsit, donec exoratus precibus Leonis Pontificis Max. à Valentiniano ad pacem impetrandam missi, relicta Italia in Pannoniam reuersus est. quibus temporibus Aquileia Atilæ furore capta, & diruta. ac vniuersa Venetia deuastata, Venetiæ condi cęperunt, circiter annos Christi quadringentos, & triginta. Tu͂ per Vandalos, qui vniuersam Africam Romano imperio eripuerunt, Piraticamq́ue in mari exercentes, Siciliam, Sardiniam, Corsicam, Italiam, latrocinijs, ac prædis vexarunt, urbemq́ue Romam captam omnibus ornamentis spoliarunt, atque Africam annos plus minus septuaginta septem obtinuerunt, vsque ad Iustinianum, qui non solum per Bellisarium Africam ex manibus Vandalorum extorsit, uerum etiam per Narsetem post annum septuagesimum Gothos superauit, & vel finibus Italiæ cedere, uel suo demum imperio obtemperare coegit. Tum per Longobardos, quos

Narses à Iustino, & Sophia uxore gubernatione Italiæ priuatus ex Pannonia duce Alboino in Italiam inuitauit, quique in Italia annos ducentos, & septem regnarunt, donec Pontificatum bello urgentes, à Pipino, & Carolo Magno Francorum Regibus victi sunt, anno Christi octingentesimo primo. Itaque Occidentis imperium ad Francos ita consentiente Romano Pontifice, & permittente Orientis imperatore translatum est, atque inde ad Germanos peruenit, qui eius adhuc compotes sunt. Orientis uero imperium post multos, variosque casus concidit, Constantinopoli vrbe Augusta eo anno, qui supra notatus est, à Turcis expugnata, ac Constantino XV. Paleologo imperatore occiso, summaque rerum in Mahomethi Turcarum Regis potestatem redacta. Ac res quidem ad quartam Monarchiam pertinentes, tam ante, quàm post eius gestas constitutionem, plurimi conscripserunt. Nam, vt omittamus illos, quorum historia tota iniuria temporum perierunt, quorumque aliquot nos in volumine fragmētorum quasi ab inferis excitare conati sumus, & illos tantum recenseamus, qui ad manus nostras peruenerunt, quamuis non omnes integri, ex Græcis quidem talem scripsit historiam Polybius tempore Africani Minoris, cuius fuit præceptor: & Diodorus sub Triumuiris: & Dionysius sub Augusto: & Plutarchus sub Traiano: & Appianus sub Hadriano: & Dio sub Alexandro Seuero: & Herodianus sub Gordiano Minore: et Zosimus sub Theodosio Minore: & Procopius sub Iustiniano: & Agathias eodem tempore: & Zonaras sub Alexio Comneno Constantinopolitano, cuius historiā continuauit Nicetas, qui ab anno Christi millesimo centesimo decimo septimo, vbi Zonaras desinit, vsque ad annum millesimum ducentesimum tertium peruenit; & Nicephorus Gregoras, qui ab anno, ubi desinit Nicetas, usque ad annum millesimum trecentesimum trigesimum octauum historiam suam perduxit. Ex Latinis uero C. Iulius Cæsar tempore Ciceronis: C. Salustius Crispus paullo post Cæsarem: T. Liuius sub Augusto: M. Valerius Max. sub Tiberio Cæsare: C. Velleius Paterculus eodem tempore: C. Plinius sub Vespasiano: P. Cornelius Tacitus sub Traiano: Sex. Iulius Frontinus eodem tempore: C. Plinius iunior eodem: L. Florus sub Hadriano: C. Suetonius Tranquillus sub eodem: Aemilius Probus sub eodem: Iustinus sub Antonino Pio: C. Iulius Capitolinus, T. Aelius Lampridius, Trebellius Pollio, Flauius Vopiscus, T. Aelius Spartianus, Volcatius Gallicanus, sub Diocletiano, & Constantino Magno: Flauius Eutropius sub Valentiniano: Sex. Rufus sub eodem: Ammianus Marcellinus sub Valente: Sex. Aurelius Victor sub Theodosio Seniore: Paullus Orosius sub

Honorio: Iornandes sub Iustiniano: Marcellinus Comes sub eodem, id est, multo post Ammianũ Marcellinum: Beda sub Leone tertio: Paullus Diaconus sub Carolo Magno: Anastasius sub Michaele Rancabe Constantinopolitano. Ex recentioribus autem Pomponius Letus uitas aliquot imperatorum exposuit vsque ad annum Christi septingentesimum. Carolus Sigonius scripsit his vltimis temporibus de regno Orientali; & de regno Italiæ vsque ad annum ducentesimum supra millesimum. Blondus Flauius ab anno quadringentesimo septimo ad millesimum quadringentesimum. Io. Baptista Egnatius à C. Iulio Cęsare ad Maximilianum primum circa annum nonagesimum quartum supra millesimum quadringentesimum, ad quod tempus etiam Ioannes Cuspinianus peruenit. Ioannes Nauclerus ab initio Mundi ad annum millesimum quingentesimum. M. Antonius Coccius Sabellicus ab orbe condito ad annum millesimum quingentesimum quartum. quam historiam Gaspar Hedio ad annum trigesimum octauum supra millesimum, & quingentesimum deduxit. Paullus Iouius, itemque Franciscus Guicciardinus ab eo anno, vbi Cuspinianus finem fecit, orsi sunt. Sed hic tantum ad millesimum quingentesimum trigesimum sextum: ille vero ad quadragesimum sextum vltra millesimum, & quingentesimum peruenit; à quo anno Natalis Comes incępit, & ad millesimum quingentesimum octogesimum primum historiam suam perduxit. Iamuero, vt eò, vnde digressa est, nostra reuertatur commentatio, consuetis historijs Epopœia esse similis non debet, cui vna actio vnius personæ non tam longa, nec tam varia exprimenda est, quàm in ipsis historijs explicari solet, sed modicæ longitudinis, & varietatis; qua in re in hunc modum à Philosopho laudatur Homerus; Quamobrem, vt iam dicebamus, & in hac parte diuinus apparere Homerus præter ceteros potest, quia neque bellum, quamuis habens principium, & finem, aggressus est versibus totum describere (enasurum enim erat valde magnum, & quod non facile conspici posset, vel magnitudine quidem se modice habens, sed intertextum varietate) at, cum vnam abstulisset partem, episodijs vsus est multis, vt nauium Catalogo, & alijs episodijs, quibus Poesim distinxit suam. Idem Homerus cum alijs confertur, qui circa vnam personam quidem canebant, & circa vnum tempus, & vnam actionem, sed nimis longi, aut nimis varij apparebant, vt qui Cyprica fecit, & paruam Iliadem. Ac traditur ex Iliade, & Odyssea Homeri vnam confici Tragœdiam, vt propter interitum Patrocli excidium Ilij: aut duas solas, vt excidium Ilij, & reditum Vlyssis. Ex Cyprijs vero multas,

quæ

quæ tamen non nominantur: & ex parua Iliade plures, quàm octo. Enumerantur enim decem, prima inscripta Armorum iudicium, Vtri scilicet danda essent Achillis arma, Aiacîne, an Vlyßi: altera Philoctetes Sophoclis, quæ Tragœdia extat: tertia Neoptolemus Pyrrhus, Achillis filius, qui Priamum, & Polixenam interfecit: quarta Eurypilus filius Telephi, qui cum Troianis fuit, & Machaonem occidit, atque à Neoptolemo occisus est; vel filius Enemonis, qui cum Græcis fuit, & in Troiæ excidio, cum in arcam, vbi Bacchi statua erat, ingressus esset, furore agitatus est: sexta Lacæna, id est, Helena rapta: septima Ilij direptio, de qua scripsit Virgilius libro secundo Aeneidis: octaua reditus claßis, cum Græci redire in patriam volebant, Agamemnonis persuasione inducti, qua de re Homerus libro secundo Iliadis: nona Sinon, de quo idem Virgilius: decima Troiades Euripidis, id est, mulieres Troianæ. Ex his igitur decem Tragœdijs duas tantummodo habemus, Philoctetem Sophoclis, & Troiades Euripidis.

XXXVIII.

CONVENIENTIA inter Epopœiam, & Tragœdiam.

EPOPOEIA, & Tragœdia quattuor potissimum rebus inter se conueniunt; primum, quòd vnam imitentur actionem, vt supra explicatum est: deinde, quòd vtraque aut simplex sit, aut implexa, aut morata, aut Pathetica, qua de re etiam supra est pertractatum: Præterea, quòd constent fabula, moribus, sententia, dictione, cum ab Epopœia duæ tantummodo absint partes, Melopœia, & Apparatus: postremo quòd Peripetias contineant, agnitiones, atque perpeßiones. In quibus omnibus Homerus laudatur, quòd & primus illis, & satis usus sit. Ilias enim dicitur esse simplex sine agnitionibus, & pathetica cum perpeßionibus

nibus: Odyssea vero implexa per agnitionem, & morata ad mores hominum conferens plurimum. Additur tertia Homeri laus, quòd omnes sententia, & dictione superauerit.

Audacter, vt solet, Casteluetrius Aristotelem tripliciter reprehendit, primum quòd scripserit Iliadem esse simplicem, quæ tamen multas habeat mutationes, dum vincunt modo Troiani, modo Græci, dumque Achilles, & Agamemnon modo inter se amici, modo inimici sunt; nec sine agnitionibus sit, vt Glauci, & Diomedis: deinde quòd addiderit eandem Iliadem esse Patheticam, in qua licet multæ exprimantur cędes, non tamen sunt eiusmodi, ut illi, qui occiduntur, proprijs ipsorum manibus occidantur, aut parentum, aut amicorum, quales nempe cędes Patheticam cõstituunt fabulam; quæ si propter cędes ab inimicis factas Pathetica esset, etiam Odyssea propter eandem caussam Pathetica esse deberet, vbi cędes efficiuntur procorum, ancillarum, & sociorum Vlyssis: postremo quia simpliciter affirmauerit Homerum ceteris omnibus poetis sententia, & dictione antecelluisse, nec id ulla ratione confirmauerit. At illæ uicißitudines victoriæ inter Troianos, & Græcos in Iliade considerata, illaque mutatio inimicitiæ in amicitiam, quæ fit inter Agamemnonẽ, & Achillem, non sunt cum agnitionibus, quales conficere implexam, apparet ex illis verbis; Odyssea vero poema implexum, agnitio enim per totum; *& agnitio Glauci, & Diomedis non est persona præcipua, cuius una describitur actio, id est, Achillis, ut in Odyssea Vlysses persona præcipua ab Alcinoo, à subulcis, à nutrice agnoscitur. Præterea Patheticam fabulam reddi magnis quibuslibet malis; constat ex definitione perpessionis, unde ipsa Pathetica nominatur: definitur enim perpeßio, ut sit actio habẽs uim interimendi, aut graues dolores afferendi, vt quæ in aperto sunt mortes, et eiulationes, & uulnerationes, & quæcunque talia; etiamsi de materia Tragica traditum sit, atrocia, & miserabilia esse, cum in amicitijs sunt perpessiones, vt si frater fratrem, aut filius patrem, aut mater filium, aut filius matrem occiderit, aut occisurus fuerit, aut tale aliquid faciat. Nec Odyssea appellatur Pathetica, quia licet in ea quędam perpessiones, & cędes pertractentur, tamen praualent mores, & à re, quę praualet, fabula debet denominari. Denique de excellentia Homeri in sententia, & dictione, philosophus loquitur, tamquàm de re notißima, vt reprehendendus nõ sit, si non probauerit, quod nulla egere probatione videbatur. At quę hac ad Casteluetrij captionem satis sint.*

XXXIX.

DIFFERENTIA INter Epopœiam, & Tragœdiam.

Dvabus uero rebus inter se maxime differunt, longitudinis constitutione, & metro. Epopœia enim est longior: Tragœdia uero minus longa. Illa versu utitur Heroico: hæc Iambico, & Tetrametro. Proprius quoque est Poetæ Epici modus imitandi per enarrationem, ita tamen, vt non multum ex sua loquatur persona. Non enim est, cum sic loquitur, imitator. Qua in re, ut in ceteris, excelluisse quoque Homerus dicitur. Præterea Epopœiæ propria est maxima admiratio. Etenim Tragœdiæ quidem est admiratio, sed non tanta. Magis enim in narratione, quàm in actione admirabile apparet. Exemplum affertur ex libro vigesimo secundo Iliadis, cum Achilles solus Hectorem insectatur, &, ne Græci sequantur, tenuit, vt solus Patrocli mortem vlciscatur. Id enim in actione ridiculum videretur: at in narratione admirabile est, & hoc modo iucundum. Vt enim quidque admirabilius est, ita iucundius. Quare, qui aliquid nunciant, semper addere non nihil consueuerunt, vt rem admirabiliorem, & hoc modo iucundiorem efficiant. In Epopœia igitur maior offertur occasio dicendi eius, quod falsum est, & per captiosas rationes probandi. Qua quoque in re idem ita excelluit Homerus, vt alios docuisse paralogismi usum uideatur; quemadmodum cum Græci duces suadente Agamemnone, vt à Troiæ discederent obsidione, & suum de eiusmodi discessu somnium commemorante, illo in errorem paralogismo incurrerunt; Quæ Reges somniant, visiones sunt. Hoc Rex somniauit Agamemnon. Ergo tale somnium fuit uisio. Non enim necesse est, si uerum est secundum, nempe assumptio, ut primum quoque uerum sit, id est, propositio maior, quæ sæpenumero vera esse solet.

XL.

VITIA COMMVNIA Epopœiæ, & Tragœdiæ.

TRaditur eligenda esse potius ea, quę fieri non possunt, dummodo verisimilia sint, quàm ea, quæ possunt, & uerisimilia non sunt. Ac nullam vacare ratione partem oportere, nisi quod extra fabulam sit, & extra fabulæ diem, ut quod de Oedipode dicitur apud Sophoclem. Non enim verisimile est, eum ubi, & quando, quotque cum comitibus Laius peremptus esset, ignorasse. Atque id tolerabile est. Contra vero quod fingitur in Electra, cum Pythia nunciantur, tamquàm noua: &, quod in Mysis, cum quidam sine vllo vocis usu ex Tegea in Mysiam venit. Tamen, cum præter rationem aliquid dicitur, si id poetæ uerbis fiat verisimile, admittitur; quemadmodum cum libro decimo tertio Odysseæ narratur, Vlyssem à Phæacibus ad Ithacensium littora uectum esse, graui somno oppressum, è naui cum donarijs ab illis expositum, qui experrectus se in littore solum comperit. Vbi autem locutionis caussa laborandum sit, præcipitur; nempe in partibus ociosis, & non moratis, nec sententiarum plenis: alioquin & mores, & sententias splendida occultari dictione.

XLI.

DE EXCVSATIONIbus poetarum.

TRia sunt capita, vnde omnis solutio manat. Primum est, licere varijs modis imitationem confici; huiusque primi capitis primum quinque modi commemorantur, deinde duo alij adduntur, vt omnino septem sint; primus, Qualia erant: secundus, Qualia sunt: tertius, Qualia aiunt: quartus, Qualia videntur: quinctus, Qualia esse oportet: Sextus, Casu accidisse: septimus, Sic se rem habuisse, & sic in more positam fuisse. Secundum caput est, rem fictam uerbis varia significantibus exponi posse; cuius capitis primum recensentur tres modi, deinde adiungitur quartus, vt quattuor sint; primus Linguæ: secundus, Translationes: tertius, Affectiones uerborum: quartus, Verba dubia. Tertium caput est, erratum Poeticæ esse nō per se, sed per accidens tribus modis; cùm res accipiuntur aliter, ac sunt, quia non fuerint obseruatæ: cùm error committitur in alia arte propter eius ignorationem: cum finguntur ea, quæ fieri non possunt, vt finis magis attingatur.

Verba Aristotelis ita interpretamur; Ipsius autem Poeticę duplex erratum. Nam vnum per se: alterum per accidens. *Additur explicatio vtriusque errati in hunc modum;* Etenim aut pręeligit imitationem rei, quę vltra facultatem est, quòd erratum ipsius est: aut pręeligit non recte, quòd per accidens est. *Ergo poeta aut suscipit imitandum, illud, quod imitari nescit, prout propositum habet, & est erratum per se: aut suscipit imitandum illud, quod scit imitari, quemadmodum sibi proponit, sed in electione errat, & vocatur erratum per accidens. quod declaratur tribus modis sic;* Sed fecit equum mouentem utramque, dexteram partem: aut erratum est secundum vnamquamque artem, quemadmodum secundum Medicinam, aut aliam artem: aut quę fieri non possunt, ficta sunt. *Dicuntur huiusmodi errata per accidens, quia primum accidit propter ignorationem rei naturalis, & veritatis: alterum propter ignorantiam non poeticæ artis, sed alterius: tertium*

tium propterea quòd licet erretur in electione rei, quæ fieri non potest, tamen per eam finis magis attingitur. Atque hunc putamus esse uerum Aristotelis sensum. Castleuetrius tamen aliter explicat, & scribit, eum primum dicere, duplex esse Poeticæ erratum, vnum per se, alterum per accidens. Deinde addere tertium erratum, quod nec per se, nec per accidens est, cum res, quæ fieri non potest, imitatione exprimitur. Itaque apud philosophum erratum per se à tribus erratis distingui, ab eo, quod est alterius artis, ab eo, quod est per accidens, ab eo, quod est rei, quę fieri non potest. Plura igitur, quàm duo genera errorum collegit; & medium constituit inter illa, quæ sunt per se, & illa, quæ per accidens. Quod nescimus, à qua Logica ipse didicerit; idcircoque reiecta eius explicatione, priori stamus.

XLII.

DE TERTIO CAPITE solutionum.

Primi modi exemplum est, cum equus, dum ambulat, vtramque simul partem dexteram mouere fingitur. Secundi exemplum est, vt in Medicina. Tertij insectatio Hectoris, de qua etiam supra scriptum est. Traditur vero fictionem rerum, quæ fieri nequeunt, cuiusmodi erat ipsa Hectoris insectatio ab Homero descripta, tolerari quodammodo posse, si finis per eas magis attingatur: leuiusque esse erratum per accidens, quàm per se, ut si quis in ceruorum specie fœminam non habere cornua ignoret.

XLIII.

DE PRIMO CAPITE solutionum.

PRimus modus primi capitis à tempore præterito sumptus est, cum dicitur, Talia erant, etiamsi nunc amplius non sint, ut oracula erant, & sacrificia belluarum, & hominum, & alia quàm plurima quæ nostris temporibus non sunt. Secundus modus à tempore præsenti ductus est, ut excusatur Euripides, qui fingit, non quales esse oportet, sed quales sunt, & excusantur illi, qui verisimili vtuntur Agathonis, quòd quandoque ita eueniat. Tertius modus est à fama, quòd ita aiunt, ut quæ de Dijs feruntur. Quartus ab opinione, quòd ita uulgo videtur, vt esse Cyclopas, esse Sirenes, mutari homines in belluas Circeio poculo, vinis adhuc hominibus aditum ad inferos patere. Quinctus ab idea, vt excusatur Sophocles, quòd fingat, non quales sint, sed quales esse oporteat. Qui modi sunt aut à ueritate, aut à meliori. Vera duobus esse modis intelliguntur, Qualia erant, Qualia sunt. Melius tribus modis spectatur, Qualia aiunt, Qualia videntur, Qualia oportet. Additur alius modus à casu, cum dicitur, casu accidisse, quemadmodum Xenophanes dicebat, omnia casu euenire, & nihil certi sciri posse, atque, siquid ueri dicatur, id casu contingere. Seneca ut alij quoque notarunt, in Medea uidetur casu aperuisse inuentionem nouarum terræ partium, quæ nostris temporibus inuentæ sunt, cum chorum ita loquentem induxit;

Venient annis
Secula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Thyphisque nouos
Detegat orbes, nec sit terris
Vltima Thule.

Vltimus adiungitur modus à more, cum dicitur, sic se rem habuisse, &

ſic in more poſitum ſuiſſe, ut quod legitur de armis, quæ milites Diomedis recta fixerant in ſaurotere, id eſt, circulo ferreo terræ defixo, & non contra hoſtes inclinata. Cum autem conſideratur, Qualia oportet, non ſolum ſpectatur primo loco factum, aut dictum per ſe: uerum etiam ſecundo loco is, qui facit, aut dicit: & tertio is, erga quem facit, aut dicit: & quarto Quando: & quincto, Quomodo: & ſexto, Cuius gratia: & ſeptimo, quod ſubintelligendum eſt, Vbi.

XLIIII.

DE SECVNDO capite ſolutionum.

PRimus modus ſecundi capitis eſt à linguis, quæ cum diuerſæ ſint, quandoq; eodem uocabulo in diuerſa utuntur ſignificatione, vt οὐρεὺς ſignificat mulum. Itaque opponebatur Homero, quòd libro primo Iliadis dixiſſet, Apollinem peſtilentiæ ſagittis primum mulos animalia robuſta, & ad reſiſtendum idonea percuſſiſſe. At reſpondetur, illam vocem in alia lingua Græca (ſunt enim multæ ſpecies linguæ Græcæ) ſignificare cuſtodem, nõ mulum, vt de cuſtodibus, non de mulis locutus eſſe Homerus videatur. Præterea εἶδος communiter totius ſpeciem corporis denotat. Quare Homerus reprehendebatur, quòd libro decimo Dolonem εἶδος κακὸν, id eſt, ſpecie turpem appellaſſet, qui ſolum facie deformis eſſet. At reſpondetur, εἶδος apud Cretenſes quoque eſſe ſolam faciem. Nam εἶδος in compoſitione, vt cum dicitur εὐειδὴς, apud eos pulchram faciem ſignificat. ζωρότερον autem eſt meracius, & citius, in vna ſcilicet lingua Græca meracius, in altera citius. Iam, cum Aiax, Vlyſſes, & Phœnix ab Agamẽnone ad Achillem miſsi eſſent, vt eum pacarent, ab Homero libro nono Achilles Patroclo dicere fingitur, ζωρότερον κέραιρε, Meracius miſce, quaſi eos tractaret tamquàm temulentos. At reſpondetur, ibi ζωρότερον eſſe citius. Secundus modus eſt, à tranſlationibus. Ac opponebatur quidem

dem Homero, quòd libro secundo Iliadis dixisset, alios Deos, & homines totam noctem dormisse: sed is defenditur, quòd tota nox ibi pro parte noctis per translationem accipiatur. Itemque obijciebatur, quòd libro decimo dixisset, vt quidam putant, Respicere, pro Audire, vt alij, Tibiarum, fistularumque locutionem, vocemque hominum. At excusatur, quòd translatione usus sit. Praterea ei crimini dabatur, quòd libro decimo quincto Odysseæ dixisset, Arcto solam expertem Oceani lauacrorum, cum etiam alia sydera huiusmodi sint. At dicitur ibi solam metaphorice accipi pro notissima. Tertius modus est ab affectionibus verborum, id est, accentibus; qui prout varij sunt, sic variant significationem. Quod cum quidam non intelligeret, etiam si docere alios profiteretur, meminimus nos eum sic reprehendisse;

Alite quos pueros infausta, atque omine diro
Commisit patrum prouida cura tibi:
Hos tu negligere accentus, & debita uocum
Tempora secura spernere mente doces.
Sic referre negas, occidat, an occidat vllus:
Sic tibi pendere, & pendere prorsus idem est:
Nec quicquam intererit frigere, an frigere dicas:
Nec canere aliquem dixeris, an canere.
O' noue temporibus nostris exorte Palemon,
Grammatice cuius nixa supercilio est.
Ore rudi rudibus pueris dum talia rudis
Dignus eras rudibus ruderibusque peti.

Iamuero tria afferuntur exempla. primum est ex libro secundo Iliadis, vbi agitur de somnio à Ioue ad Agamemnonem misso, qui tamen uersus tēporibus nostris in Homeri Iliade non reperitur, vt difficile sit, qualis'nam esset, diuinare. οἰ cum aspiratione tantum est Hi: cum aspiratione, & accentu circumflexo, οἷ, ponitur, pro αὐτῷ. δίδομεν cum accentu in prima syllaba est Damus. in secunda sic, διδόμεν, est infinitus modus, & habet vim imperandi. Ergo si huiusmodi vox primo modo legatur, videbitur absurdum, Iouem dicere, Nos damus Agamemnoni acquirere gloriam, cum exercitum armauerit, cum tamen inde dedecus, & damnum esset consecuturus, contra quàm ipse dixisset Iupiter. Si secundo modo, videbitur Deus somnio imperare, quasi dicat, Da ipsi, vt eam inanem gloriam acquirat, quam tu afferre consueuisti. Alterum exemplum est ex penultimo libro Iliadis, vbi dicitur stare lignum aridum duorum

brachiorum ex quercu, aut picea, quod stat, vbi corrumpitur imbre. Obiectio igitur erat, quòd dixisset Homerus, lignum aridum, & quod marcesceret, non idoneum: posteaque addidisset, quod staret, vbi corrumperetur imbre. Nam οὗ *cum spiritu aspero, & accentu circumflexo est Vbi. At* οὐ *cum spiritu leni, & accentu acuto significat Non. Itaque varietate accentus, & spiritus tollitur oppositio. Tertium exemplum est ex Empedocle; Extemplo autem mortalia nata sunt, quæ prius didiceram esse immortalia. Mixta autem prius pura. Intelligebat Empedocles immortalia esse per amicitiam, mortalia per litem: & mixta esse immortalia, pura mortalia. Ergo in prioribus verbis uidetur dicere, primum fuisse immortalia, inde mortalia: in posterioribus contra. Respondetur, ita interpungendum esse, Mixta vero prius, pura, id est, cum essent prius mixta, facta sunt pura. Quartus modus est à verbis dubijs, & ambiguis. Sumitur exemplum ex libro decimo Iliadis, vbi dicere Homerus videtur, noctem plus duabus partibus præteriisse, & tertiam quoque partem restare. Affertur excusatio, quod* πλέων*, id est, plus, ibi significare queat, non solum noctē vltra duas partes præteriisse, uerum etiam ex duabus partibus plus, ita vt non solum tertia pars integra permaneret, Sed secundæ etiam aliquantulum. Alterum exemplum est ex consuetudine locutionis, quòd Temperatum uocant, etiam si sit merum. Aliud ex uigesimo Iliadis, ubi stannū accipitur pro ferro. Prętereà dicti sunt ærarij, qui ferrum exercent, vbi æs accipitur pro ferro. & libro decimo nono Iliadis Ganymedes dictus est vinum ministrare, id est, aliquid, quod bibatur, etiam si vinum non sit. Hæc uero non est uera translatio, sed ex consuetudine. Sequens exemplum est ex vigesimo Iliadis, vbi uox* ἔσχετο*, si pro inhęrere sumatur, vt primo aspectu videtur denotare, Homerus sibi contradicet: si pro detinere, ac prohibere, nulla erit contradictio. Opponebatur quoque Homero, quòd dixisset Icarium Lacedęmonium fuisse socerum Vlyßis, & fuisse Lacedęmone, cum Telemachus eò profectus est, neque tamen uisum esse à Telemacho, & appellasse Icarium, qui tamen fuerit Icadius. At ex altera respondetur opinione, Vlyssem duxisse uxorem non apud Lacedęmonios, sed apud Cephalenes; & socerum eius fuisse, non Icarium Lacedęmonium, sed Icadium Cephalenem.*

XLV.

DE TERTIO, ET primo capite solutionum.

SI res fingantur, quæ fieri nequeunt, ad naturam Poesis referendæ sunt, cui magis res appositæ ad persuadendum, quæ fieri nequeunt, eligendæ sunt, quam nõ appositæ, quæ fieri queunt, vt superius dicebatur. & ad tertium solutionum caput referuntur, vt esse erratum dicatur, non per se, sed per accidens, quod tolerari potest, si magis finis attingatur, ut supra de Hectoris insectatione tradebatur. Pertinent quoque res, quæ fieri nequeunt, ad primum caput, vt si reperiri tanta in ullo homine uirtutis perfectio, atque absolutio minime posse uideatur, quanta in Achille ab Homero expressa est, id excusetur; quia poetæ spectauerit, non qualis Achilles fuerit, sed qualem eum esse oportuerit, quemadmodum Zeuxis quoque tales pingebat, quales esse non poterant. Atque hic erat quinctus primi capitis modus. Præterea, si illa, quæ de Dijs feruntur, fieri nequiuisse existimentur, quartus primi capitis modus afferri potest, nempe describi talia, qualia vulgo videntur. Illa uero, quæ præter rationem sunt, vt deos vulnerari, ambrosia uesci, nectar bibere, & alia efficere, quæ sunt hominũ propria, etiam primo capite excusari queunt, quòd talia finguntur, qualia aiunt; qui tertius erat modus. Cumque fingitur aliquem simul sapientẽ, & improbum decipi, ut Sisyphum, & aliquem simul fortem, & iniustum superari, ut supra scriptum est; quæ præter rationem esse existimantur, res huiusmodi sub secundum primi capitis cadunt modum, quòd quales aliquando sunt, confingantur. Sic res aliquo modo contrariæ uel ijs, quæ nunc sunt, uel ijs, quæ olim erant, uel rei ipsius ueritati, eodem primo capite excusantur, vt descriptas esse contendatur, aut quales erant, non quales sunt; aut quales sunt, non quales erant; aut quales aiunt.

XLVI.

DE RECTA REPREHENSIONE, & numero reprehensionum, ac solutionum.

ADditur rectam reprehensionem esse, & vacare ratione, & prauum apparere, cum aliquis, dum necesse non est, aliquo, quod vacet ratione, & aliquo, quod prauum sit, vsus fuerit. Ac duo Euripidis exempla afferuntur, alterum de Aegeeto quodam, vel Aegeo, (locus enim corruptus est, & ob id obscurus) alterum de Menelao in Oreste supra explicatum. Quinque autem reprehensionum species colliguntur, Vnà ab eo, quod fieri nequit: altera ab eo, quod vacat ratione, cum aliquid fieri debere verisimile non est, etiam si fieri queat: tertia à pernicioso, cum aliquid corrumpit fabulæ constitutionem; quò errores fabulę, morum, sententiæ, rediguntur: quarta à contrario: quincta ab eo, quod extra artis rectam est rationem, cum aliquid minus euidenter exprimitur; quò errores pertinent elocutionis. Defensionum vero, & solutionum tria sunt genera, vnum à varietate imitandi, quod quinque habet locos, à tempore vel præterito, vel præsenti, à fama, uel opinione, ab idea, à casu, à more: alterum à varietate significandi, quod quattuor habet locos, à linguis, à translationibus, ab affectionibus uerborum, ab ambiguo: tertium à varietate errandi, quod habet tres locos, ab alia arte, ab eo, quod accidit, à minori malo. Itaque defensionum, & solutionum loci duodecim sunt.

QVIBVS

XLVII.

QVIBVS RATIONIbus Epopœia Tragœdię præferenda esse videatur.

D*væ afferuntur rationes, quibus Epopœia, quàm Tragœdia, existimari dignior potest; altera, quòd Tragœdia magis est onerosa; quippe quæ maioribus egere sumptibus uideatur: altera quòd ad personas minus intelligentes refertur, pluribus histrionum moribus indigentes, vt intelligere ea, quæ aguntur, queant.*

XLVIII.

RESPONSIO AD rationes.

C*Vm vero prima afferatur ratio, quòd Tragœdia sit magis onerosa, ad huiusmodi obiectionem tribus respondetur modis; primum concedi id, quod dicitur, sed tale peccatum esse potius histrionicæ, quàm Tragœdiæ: deinde id oneris Tragœdię, & Epopœiæ esse commune, quatenus ad recitationem rediguntur: Prætere a onus congruens non esse uere onus, vt hac de caussa Tragœdia magis onerosa existimanda non sit, quia id onus habeat,*

beat, quod eam habere oportet. Secunda ratio est, quòd Epopœia ad intelligentiores, Tragœdia ad minus intelligentes referatur. Ad talem uero rationem duplex est responsio; primum in Tragœdia non minus intelligentes requiri, quàm in Epopœia, cum illa sine ulla motione, quemadmodum hæc, legi queat: deinde, vt Tragœdia, hac ipsa in re inferior sit, quia pluribus egeat, non tamen post habendam esse, cum alijs in rebus Epopœiam superet, quæ infra exponuntur; & sunt partim, quibus prorsus caret Epopœia, partim quas habet deteriores.

XLIX.

TRAGOEDIAM, quàm Epopœiam, plura, & meliora habere.

AC primum quidem traditur, præter fabulam, mores, sententiam, dictionem, quæ in Epopœia quoque reperiuntur, in Tragœdia esse harmoniam, & apparatum. Deinde vero Tragœdiam duobus modis notam fieri, lectione, & actione, cum Epopœia in lectionem tantum cadere consueuerit. Postremo Tragœdiam tria habere meliora, quàm Epopœiam, tum constitutionem fabulæ breuiorem, tum fabulam magis vnam, tum maiorem perturbationum purgationem.

L.

EPILOGVS LIBRI de Poetica.

IAm de Tragœdia, & de Epopœia est pertractatum, poetarum simul reprehensionibus, & defensionibus explicatis. Consequens autem erat, vt de Comœdia, & ridiculis pertractaretur, quæ fuit tertia pars factæ ante præcepta de Tragœdia propositionis: sed hanc totam materiam secundo libro fuisse reseruatam putamus.

FINIS.

ANTONII RICCOBONI EX ARISTOTELE

ARS COMICA.

CVM in principio artis Poeticæ sex imitationis species Aristoteles recensuisset, Epopœiam, Tragœdiæ Poesim, Comœdiam, Dithyrambopoeticam, Auleticam, Citharisticam; & paullo post fistularum quoque imitationem, & illam, quæ fit saltando, & Poesim Nomorum commemorasset; ac præterea duorum Poesis generum mentionem fecisset; alterius grauioris, quò referuntur tum Hymni olim compositi in honorem Dei, & Encomia clarissimorum virorum, atque heroum, tum Epopœia, tum Tragœdia; alterius humilioris, cui antiquæ subijciuntur vituperationes, Iambicum carmen, & Comœdia: de tribus quidem Poesibus se in primis esse pertractaturum proposuit, Tragœdia, Epopœia, Comœdia; sed, cum ea, quæ de duabus prioribus scripsit, ad manus nostras peruenerint, ea pars, quæ erat de Comœdia, & de ridiculis, quæque citatur libro primo, & tertio Rhetoricæ, iniuria temporum perijt. Quam cum à vetustate rerum omnium confectrice restituere nequeamus; danda nobis opera est, vt, quam iacturam fecimus, quibuscunque modis possumus, resarciamus. Quamobrem de Comœdia tum ea colligemus

ligemus omnia,quæcunque apud grauiſſimum philoſophum reperiuntur, & aliquo modo ſignificantur:tum uero etiam ad eorum imitationem,quę is tradidit de Tragœdia, & Epopœia, præcepta quædam conformabimus ab eius doctrina minime abhorrentia,quibus confici Comœdia laudabiliter queat. Quod ita efficiemus,ut naturam eius inueſtigemus ex genere,& differentijs Poeſis:ex ipſius origine:ex ſimilitudine, & diſſimilitudine, quam habet cum alijs Poeſibus, & imitationibus:ex definitione : ex partibus qualitatis:ex partibus quantitatis:ex pulcherrima conſtitutione. Iam ad propoſitum aggrediamur.

I.

DE NATVRA Comœdiæ.

Omnem Poeſim, & hoc modo etiam Comędiam referri ad imitationem,tamquàm ſpeciem ad genus,liquido conſtat. Cum autem differentia Poeſis ſpectetur tripliciter,ex inſtrumento,ex materia, ex modo imitandi; & eiuſdem triplex ſit inſtrumentum, numerus ſaltationis,harmonia ſoni,& cantus,præterea metrum; ac triplex quoque ſit materia aut meliorum,aut peiorum,aut ſimilium;& triplex imitandi modus, unus exponens,& ſe immutans, alter exponens, & ſe non immutans, tertius agens,& aliquid moliens:Comędia vtitur quidem omnibus inſtrumentis,ſed in diuerſis temporibus,quemadmodum etiam Tragędia. Nā alia imitationes utuntur aut non omnibus,ut Auletica,Citbariſtica,Imitatio fiſtularum,duobus tantum,numero,& harmonia; imitatio uero ſaltandi,& Epopœia uno tantum,altera ſcilicet numero, altera metro : aut omnibus quidem,ſed eodem tempore, vt Dithyrambicorum Poeſis , & Nomorum. Præterea eſt imitatio non ſimul meliorum,peiorum, & ſimilium,vt Dithyrambica,& Epopœia;nec meliorum tantum,ut Tragędia; ſed peiorum tantum,in eo ſcilicet vitij genere,quod mouet riſum. Et ha-

bet

bet modum imitandi,non exponentem,& se immutantem, vt Epopœia; nec exponentem,& se non immutantem,vt Dithyrambica,& Nomica; sed agentem,ut quoque Tragœdia.

II.

DE ORIGINE COMEDIAE.

IAmuero quæritur,apud quos nata sit Comœdia:quomodo inuenta:quomodo aucta. Ac constat quidem Comędiam apud Dorienses natam esse:sed apud quos Dorienses id euenerit,incertū est. Alibi enim exposuimus eius inuentionem sibi vendicasse, tum Dorienses Megarenses Grecię propter antiquam suam libertatem popularem,ubi illa potuit exerceri,cum locum haberet, nō sub Tyrannide,nec sub Oligarchia, sed sub Democratia,in qua multum ciuitatis moribus proderat, dum efficiebat, ut unusquisque,ne sua vitia publice carperentur, sequi uirtutes studeret. Tum Dorienses Megarenses Siciliæ, quòd Epicharmus Siculus Chonnide,& Magnete antiquis Comicis Græcis uetustior fuerit. Tum Dorienses Peloponnesi,quòd Comędia dicta sit à voce Peloponnesiaca, nempe ἀπὸ τῶν κωμῶν, id est, à pagis, per quos poetæ ueteres Comici singulorum notantes hominum uitia uagabantur,non à uoce Attica κωμάζειν, quod est noctu agere, & lasciuis rebus indulgere. præterea quòd δρᾶν, id est, agere, & repręsentare, unde Comędiarum, & Tragędiarum dramata, & actiones dictæ sunt, uox sit Peloponnesiaca. Libro quarto Ethicorum, ubi agitur de magnificentiæ exuperantia, Comœdiarum Megarensium fit mentio ad hunc modum; Et ædilitatem gerens Comędis in transitu purpuram exhibet, sicut Megarenses consueuerunt.In quem locum sic scripsit Eustratius; Carpuntur Megarenses in Comędia, quòd purpureis uestibus in ea uti soleant, quòdque importuni, insulsi, ineptique in ea habeantur, cuius inuentionem sibi uendi-

vendicant. Susarion enim, qui Comœdiam auspicatus est, fuisse Megarensis perhibetur. Quos quidem taxans Myrtilus in ea fabula, quam Titanum filios inscripsit, ita inquit;

Grauiter audis Hercules.
Hoc est tibi dicterium petulans, ac Megaricum.
Et frigide admodum irrides, puerulos aspicis.

Item Aristophanes in Vespis;

Debetis expectare nunc nil maximum
A' me, nec ut de Megarico huc risum afferam,
Raptum solo ad nos.

Ecphantides quoque antiquissimus ueterum Comœdiarū scriptor inquit;

Prætereo carmen Megaricæ Comœdiæ.
Nam me pudet facere Megaricam fabulam.

Quibus omnibus insulsa Megarensium importunitas uidetur notari. Hęc Eustratius. Inuenta vero est Comœdia ita, vt antiquis uituperationibus, & Iambico carmini successerit. Nam, cum duo sint genera Poesis, unum grauius, alterum humilius; quemadmodum in grauiori facti sunt primum Hymni, & Encomia, inde Epopœia, postremo Tragœdia: sic in humiliori scriptæ sunt primum vituperationes sine ridiculis, inde Iambicum carmē cum ridiculis tendentibus ad conuicium, postea Comœdia vetus cum conuitio tendente ad ridicula. Ac uituperationes quidem fuerunt, quas poetæ ueteres contra personas vel publicas, vel priuatas conscripserunt; cuiusmodi quoque nostris sunt temporibus famosi quidam libelli uersibus conscripti. Iambico autem carmine Archilochus tam acriter Lycambem socerum suum est insectatus, propterea quòd desponsatam sibi filiam uxorem non daret, vt illum ad laqueum una cum filia compulisse dicatur. Et Iambis quoque Homerum in Margite vsum esse, alibi notauimus. In uetere uero Comœdia nominabantur ij, in quos maledicta coijciebantur, ut in Aristophanis Pluto Patrocles ille, qui tota nunquam lotus est uita: & in Nephelis Socrates, quam ille Comœdiam scripsit, vt Anito, & Melito Socratis inimicis gratificaretur, Strepsiadem introducens, patrē Phi lippidis, mittentem filium ad Socratis disciplinam, qui fingitur inueniri de rebus minimis, & nullius momenti, vt de saltu pulicis, & de alijs similibus, cum Cherephonte disputans, ita ut eius disputationes tamquàm nebulæ existerent, quæ minime consistunt, & facillime dissoluuntur. Formam autem accepit Comœdia, vt putat Donatus in Terentium, ab Odyssea, vbi duplex est fabulæ constitutio, quæ meliores, & peiores complectitur;

tur; & ,vt ipse testatur Aristoteles, est magis Comœdiæ propria, dum etiam inimicissimi, vt Orestes, & Aegisthus, amicissimi fiunt, & nullus per alterum moritur. Vel potiùs, vt alibi notauimus, à Margite, quē preter Platonis, & Aristotelis alio in loco à nobis citatum testimonium quidam adeo stultum fuisse scripserunt, vt nesciret, vter esset natu grandior, ipséne, an sua ipsius mater, & à quònam partus esset, a patrène, an à matre. Præterea Comœdia matrem habuit Iambicam, vnde, tamquàm ex fonte quodam, ridiculum conuicium, carmen Iambicum, & quoddam uerborum genus in ipsam dimanauit: nutricem vero Phallicam, ἀπὸ τοῦ φαλλοῦ, *id est, à Priapo sic nuncupatam, vnde turpitudo, saltatio, harmonia desumpta est. Quomodo autem Comœdia aucta sit, non satis constat: quia primis temporibus in honore non fuit. Cur autem in honore non fuerit, duę ab Aristotele caussæ allatæ sunt; altera, quòd sero magistratus chorum concesserit Comœdorum, id est, multitudinem interlocutorum (sic enim ibi accipitur chorus) altera quòd pauci eam poetæ tractauerint. Non desunt, qui aliam afferant caussam, quòd ex maledictis non asperis, & seueris, qualia Iambico exprimebantur carmine, sed scurrilibus, & ridiculis conflata esset. Alij Comœdiam fuisse contemptam aiunt non propter se, sed propter malos poetas. Ignoratur igitur, quis Comœdiæ personas assignauerit, id est, uel laruas, uel personas ex uestimentorum distinctas diuersitate, vt alibi explicauimus, præterea prologos, scilicet separatos, & multitudinem quoque histrionum. in quem locum quoniam plura aliàs scripsimus, nihil nunc aliud dicemus. Ac ceterarum quidem Comicarum rerum inuentio obscura est: fabulam vero apud Græcos, uel Athenienses inuenit Crates, apud Siculos Epicharmus, & Phormis. Libro autem quarto Ethicorum, ubi agitur de festiuitate, & facetiarum uirtute duplicis Comœdiæ fit mentio, alterius veteris, alterius nouæ, ad hunc modum; Quædam sunt, quæ & ioco dicere, & audire talem hominem decet; & ingenui hominis iocus à seruilis ioco, & item eruditi ab ineruditi ioco distat. id quod ex veteribus, & nouis Comœdijs licet vnicuique perspicere. illis enim uerborum obscœnitas: his obscœnitatis suspicio tantummodo risum faciebant. Hæc autem in honestate non paruam habent differentiā. Iam veteres intelligit Aristoteles poetarum Megarensium Comœdias, inter quos nominatum fuisse Susarionem superius notauimus. Iulius Cęsar Scaliger, & alij Comœdiæ uetustißimum auctorem nominant Sanyrionem. pro eo fortasse, qui ab Eustratio vocatur* σουσαρίων. *Floruerunt autem belli Peloponnesiaci temporibus circiter Olympiadem octogesimam*

septimam

septimam illi Comici veteres, de quibus sic scripsit Horatius libro Satyrarum primo;

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque poetæ,
Atque alij, quorum Comœdia prisca uirorum est,
Siquis erat dignus describi, quòd malus, aut fur,
Aut mœchus foret, aut sicarius, aut alioquin
Famosus multa cum libertate notabant.

In tali Comœdia chori præcipue erat munus, quos liberet, lędere. Quod cum displicere cępisset, sublatus est chorus, & eius loco receptum est, vt aliorum Poetarum dicta, scriptáue irriderentur, & hominum tantum vitia dissimulato nomine exagitarentur. Quam Comœdię formam postea mediam nominatam significauit Horatius, cum scripsit;

Sed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit sublato iure nocendi.

Nos eam referimus ad veterem, vt duplex fuerit, vna prior, & maledicentior, quæ nominatim homines carpebat, altera posterior, & temperatior, quæ licentiam chori non habebat, & nomina reticebat. In hoc astrictiori Comœdiæ genere cum Philippides, Strato, & alij excelluisse dicuntur, tum Alexis fuisse perillustris fertur. secuta est Comœdia noua, quæ omissa ueteris Comœdiæ consuetudine tibicinem interseruit. In ea conscribenda primas tenuerunt Philemon, & Menander potiente rerũ Alexandro Magno; quos imitati sunt Latini, & primus Liuius Andronicus, de quo sic scribit Diomedes; Constat apud Romanos primum Latino sermone Comœdiam Liuium Andronicum scripsisse. & Gellius libri decimi sexti capite vltimo; Primus omnium Titus Liuius poeta fabulas docere Romæ cępit post Sophoclis, & Euripidis mortem annis plus fere centum, & sexaginta. Cicero quoque in Bruto memoriæ prodit, Liuium primum fabulam dedisse C. Claudio Cęci F. qui in Catone Centho nominatur, & M. Tuditano Cos. anno antequàm natus est Ennius, post Romam conditam, quarto decimo, & quingentesimo. In præfatione primæ Tusculanæ aut corrupte leguntur anni DX, pro DLIIII: aut est Ciceronis μνημονικὸν ἁμάρτημα: aut numerus rotundatus est. De Poetis Comicis Latinis legendi sunt uersus Volcatij Sedigiti apud Gellium libri decimi quinti capite uigesimo quarto; & quæ nos scripsimus, vbi de præstantia egimus poetarum.

CON-

III.

CONVENIENTIA, & differentia inter Comœdiam, & alias imitationes.

Conuenit Comœdia cum Epopœia in genere tantum; quia ambæ sunt imitationes. Cum Tragœdia in genere, instrumentis, tempore, modo, partibus qualitatis, & quantitatis; quia ambæ imitationes sunt: ambæ numero saltationis, harmonia, sermone, vel metro utuntur: ambæ vno Solis ambitu clauduntur, aut paullisper uariant: ambæ modum imitandi habent agentem: ambarum sunt eædem partes qualitatis, fabula, mores, sententia, dictio, Melopœia, apparatus: & eędem partes quantitatis, prologus, choricum, episodium, exodus. Cum Auletica, Citharistica, imitatione fistularum, imitatione saltante in genere tantum. Cum Dithyrambica, & Nomica, in genere, & numero instrumentorum. Differt ab Epopœia in instrumento, modo, materia, tempore; quia Comœdia triplici vtitur instrumento: Epopœia simplici, scilicet metro. illa modum habet agentem: hæc exponentem. illa in simplici materia uersatur, nempe peiorum: hæc in triplici, meliorum, peiorum, similium. illa vnico solis ambitu comprehenditur, vel paullisper variat: hæc tempore indefinita est. Præterea non omnes partes qualitatis, & quantitatis conueniunt Epopœiæ, quæ congruunt Comœdiæ. Differt à Tragœdia in materia quia Comędia habet materiam peiorum: Tragœdia meliorum. Differt à Dithyrambica, & Nomica in usu instrumentorum, quia Dithyrambica, & Nomica utebatur omnibus instrumentis in eodem tempore: Comœdia uero omnibus utitur in diuersis temporibus. Differt ab Auletica, Citharistica, imitatione fistularum, & imitatione saltandi, in numero instrumentorum, quia Comœdia usurpat omnia instrumenta: illæ uero non omnia.

IIII.

DEFINITIO COMOEDIAE.

VT mittamus illam à laude sumptam Comœdiæ definitionem, vt sit imitatio vitæ, speculum consuetudinis, imago veritatis; veteres eam definiuerunt priuatarum, & ciuilium rerum securam complexionem. Quam tamen definitionem sic reprehendit Iulius Cæsar Scaliger; Errarunt, qui sic definiuere; priuatarum personarum, & ciuilium negociorum comprehensio sine periculo. principio alijs quoque fabulis conuenit nou dramaticis, quæ simplici narratione recitari possunt. Deinde in Comœdijs semper est periculum, alioquin exitus essent frigidissimi. Quid enim est aliud periculum, quàm imminentis mali aditio, siue tentatio? præterea non solum pericula, sed etiam damna lenonibus, riualibus, & seruis, & heris, quemadmodum in Asinaria, & in Mustellaria, ipsi quoque heri male mulctãtur. Adhęc prętextatas Comœdiæ nomine appellare nequeãt ex ea definitione. non enim sunt priuatæ personæ. postremo & Mimis est communis definitio, & Satyræ dramaticæ. Hæc vir eruditissimus. Cum autem Aristoteles Comœdiam definiuerit, vt sit imitatio peiorum, non in omni vitij genere, sed in eo, quod est ridiculum; nos in ea intuentes, quæ supra ex eiusdem doctrina tradita sunt, illam definitionem colligimus, vt Comœdia sit imitatio, quæ numero, harmonia, metro in diuersis temporibus peiores per modum agentem imitatur. Itaque est species imitationis: & quatenus omnibus vtitur instrumentis, distinguitur ab Auletica, Citharistica, imitatione fistularum, imitatione saltandi: quatenus in diuersis temporibus, à Dithyrambica, & Nomica: quatenus peiores, à Tragœdia: quatenus per modum agentem, ab Epopœia. Præterea alteram definitionem obseruamus, vt Comœdia sit Poesis humilis cum ridiculis, & conuitio tendente ad ridicula. Quare seiungitur ab Hymnis, Encomijs, Epopœia, & Tragœdia, quæ Poeses sunt graues: & ab antiquis vituperationibus, quæ erant sine ridiculis: & à Iambico carmine, quod continebat

quidem

quidem ridicula, sed propositum habebat magis conuicium, quàm ridiculum. Quòd si ad imitationem Aristotelis Tragœdiam definientis formare Comœdiç definitionem uelimus, aliam afferemus. Nam quemadmodum Tragœdia est imitatio: sic etiam Comœdia. illa est actionis probæ: hæc improbæ, & turpis. ambæ sunt imitationes actionis perfectæ. ambæ iustæ magnitudinis. ambæ suauem sermonem habent. ambæ singulis instrumẽtorum formis in diuerso tempore agentibus utuntur. ambæ per modum agentem exercentur. illa per misericordiam, & metum: hæc per uoluptatem ex ridiculo animorum inducit purgationem, ita ut illam afferre liceat definitionem, ut Comœdia sit imitatio actionis turpis in eo vitij genere, quod mouet risum, & perfectæ, ac iustam magnitudinem habentis, suaui sermone, singulis instrumentorum formis agentibus in diuersis temporibus, per modum agentem, & per voluptatem ex ridiculo inducens animorum purgationem. Est igitur imitatio, quia omnis Poesis ad imitationem refertur. Et quidem imitatio actionis turpis in eo vitij genere, quod mouet risum. non enim omnis turpitudo Comœdiæ congruit: sed ea tantũ, quæ ridicula est. Itaque cum duo sint genera Poesis, vnum grauius, alterum humilius, Comœdia in humiliori est genere, & in materia personarũ peiorum versatur, non simpliciter, sed in eo vitij genere, quod ridiculum est. Sic seiungitur à Tragœdia, quæ est imitatio meliorum: & ab Epopœia, ac Dithyrambica, quæ sunt imitationes meliorum, peiorum, & similium. Dicitur actionis perfectæ, id est, totius, & integræ. Dicitur actionis iustam magnitudinem habentis, ut vnico solis ambitu, vel paullo maiori, aut minori spatio contineatur, quemadmodum quoque Tragœdia. Sic ab Epopœia segregatur, quæ tempore indefinita est. Fit suaui sermone, de quo hæc sunt Aristotelis verba; Voco suauem sermonem, qui habeat numerum, & harmoniam, & melodiam, id est, numerum saltationis, harmoniam soni, melodiam cantus: vel numerum saltationis, harmoniam soni, & cantus, melodiam metri, vt alibi explicauimus. omnino, qui sit mixtus cum sono, & metrico cantu. Atque hic in choris potissimum vsurpabatur. Nam in alijs partibus sermo nudus, & nudum metrum adhibebatur. Itaque cum imitatio Comica triplici fiat instrumento, ab Epica distinguitur imitatione, quæ fit sermone tantum; & ab Orchestica quæ numero tantum; & ab Auletica, Citharistica, & imitatione fistularum, quæ numero, & harmonia. Cum autem primum Comœdiæ instrumentum sit sermo quæritur, an ipsa fieri soluta oratione laudabiliter queat. Nã, quemadmodum Sophron, Xenarchus, & Plato soluta oratione imitati sunt:

sic Comica quoque imitatio fieri posse sine versu videtur. Ad quam quæstionem duæ sunt responsiones; vna ducta ab usu: altera a ratione. Respondebat enim Aristoteles, initio artis Poeticæ, cum ageret de Epopœia, id commune non esse, id est, communiter receptum, vt Poesis soluta oratione confici queat. Quamobrem, si esset communiter receptum, id admitti posse, affirmare videbatur. At nostris fere temporibus est communiter receptum, vt Comœdiæ soluta fiant oratione. ergo id admitti potest. Non est tamen ita, cum multi Comœdias versibus complexi sint, & complectantur. Quare aliàs præcellentissimum in arte Poetica & Poesi virum secutus Io. Georgium Trissinum, melius esse monui, vt versus non omittatur. Nam si rationem attendamus, profecto videtur Comœdia, & omnis Poesis, versu esse conficienda, non quòd versus naturam Poesis constituat, sed quia eius proprium sit instrumentum, vt pluribus explicatum est, cum de triplici Poesis instrumento, & de fabula eius actionis, quę fieri queat, ageretur. soluta enim oratio scenæ est minus accommodata propter submissionem suam: versus vero accommodatior propter elationem, vt alibi scripsimus. præter sermonem, & metrum adhibebatur quoque harmonia, & saltationis numerus, maxime in choris, de quibus infra pertractabimus. Fit singulis formis separatim agentibus. quod philosophus in hunc modũ declarat; Illud autem, Separatim formis, propterea quòd quædam solum efficiuntur per metra, & rursus alia per melodiam. tria enim instrumenta in Comœdia, & Tragœdia idem docuit adhiberi, non eodem tempore, ut in Poesi Dithyramborum, & Nomorum, vbi eodem tempore numerus, harmonia, & sermo vsurpabatur: sed diuersis temporibus, ita vt sermo quandoque solus, vt in alijs partibus, quandoque mixtus, vt in choris, adhiberetur. Fit per modum agentem, quo distinguitur à Dithyrambica, & Epopœia, quæ habent modum exponentem, altera se non immutantem, altera se immutantem. Inducit per voluptatem ex ridiculo animorum purgationem, quia per huiusmodi voluptatis assuefactionem animus temperatur, ad talem uoluptatem perfruendam, & ex eo etiam perpurgatur, quòd per ridiculas deceptiones cauere huiusmodi deceptiones condiscit.

V.

PARTES QVALITATIS.

IN Comœdia eędem ſpectantur qualitatis partes, quę in Tragœdia, nempe fabula, mores, ſententia, dictio, harmonia, apparatus. Satis autem conſtat, fabulã eſſe rerum compoſitionem, quæ hominum actiones imitatur: mores, ſecundum quos cuiuſdammodi eſſe dicimus agentes: ſententiam, quæ demonſtrat aliquid, vel etiam enunciat mentem, cuiusque tria ſunt munera; vnum confirmare aliquid, vel refutare; alterum affectus parare; tertium amplificare, vel diminuere: dictionem ipſam metrorum compoſitionem: harmoniam cantus, & ſoni compoſitionem: apparatum, qui allicit animos ex proſpectu. Patet quoque, quomodo fabula, principium, finis, & anima Poeſis, fuerit nuncupata; & quemadmodum in fabula octo requirantur proprietates.

VI.

DE FABVLA.

NAm debet eſſe tota. quod tamen nonnullam habet dubitationem. Etenim in Comœdia non tota aliqua actio videtur reprę ſentari, ſed illa tantum pars, quę eſt unius diei. Exempli gratia hæc eſt tota actio, quòd mercator Siculus, duos habens geminos filios, Menęchmum, & Soſiclem, Tarentum profectus eſt cum Menęchmo; ipſe Menęchmus ſurreptus eſt, & Epidamnum auectus, & à raptore adoptatus, & ei mortuo heres factus; naturalis quoque Menęchmi pater Tarenti mortuus eſt; auus habito de

ea

ea re nuncio Sosicli nomen immutauit, eumque Menæchmum nominauit; hic per omnes oras fratrem quæritans Epidamnum venit, & pro vero Menæchmo ab eius meretrice, ab vxore, à socero, habitus est. Iam non hæc tota actio in Menæchmis Plauti repræsentatur; sed tantum pars eo die cõprehensa, quo fratres congressi sunt, & se inuicem agnouerunt. Idem dici de aliorum actionibus Comœdiarum potest, quæ non totæ, sed secundum partem videntur repræsentari. Ad quam dubitationem cum aliæ ab alijs responsiones afferantur, illa potißimum nobis probatur, ut dicatur, duplex esse totum, alterum magnum, vt corpus humanum; alterum paruum, vt caput: atque in actione Comica intelligi totum, quod paruum sit, ut non tota multorum dierum actio repræsentetur, sed tota vltimi diei actio, in qua nihilominus principium, medium, & finis seruetur; quæcunque vero de toto magno inseruntur, ea episodia sint.

Debet cõgruentẽ magnitudinẽ habere, vt nec perexigua, nec permagna sit, sed ad eius temporis prospectũ accõmodata, quod spectatorũ commodiũ fert: popularis enim commodi ratio habenda est: populus vero aliquot post horas de Theatro discedere necesse habet. Itaque Comicæ fabulæ tempus idoneum censendum est, non vnius, aut duarum horarum, ne populus ad tam exiguum temporis spatium congregetur, nec quod vnum solis ambitum longe prætereat, ne populo impedimentum afferatur, & illud Plautinum quadret;

Lumbi sedendo, oculi spectando dolent:

Sed quod unico solis circuitu comprehendatur, vel paullisper variet.

Debet esse vna: tametsi enim duæ quandoque actiones exprimi videntur, vt in Andria Terentij actio Pamphili amantis Glycerium, & altera Charini amantis Philumenam: tamen vna est præcipua, altera aduenticia, & episodij loco adiecta. Temporis autem breuitas, & loci angustia nec in Tragœdia, nec in Comœdia multitudinem admittit actionum. Præterquàm quòd etiam sola pulchritudinis ratio vnam postulat actionem, vt in ipsa quoque Epopœia.

Debet esse eiusmodi actionis, quæ fieri potuisse videatur, & uerisimilis sit. Hæc autem verisimilitudo in vniuersalibus, in singularibus, in nominibus spectatur. Nam vniuersalia cernuntur hac inspectione, quatenus talia talibus personis contingat dicere, aut facere ex verisimilitudine, aut necessitate. Et singularia summatim accipiuntur, ac uniuerse considerantur, quatenus multis de caussis, & multis modis possint euenire. In quib. vniuersalibus, vel singularibus uniuerse consideratis versatur Poesis, ita

ut

ut multa ex verisimilitudine in eis confingat. Nomina autem ponit verisimiliter ex morum qualitate; exempli gratia auarum appellat Chremetem, hilarem Phædriam, prudentem Sophronam, mitem Mitionem, dementem Demeam, audacem Thrasonem, & plerosque alios similiter; in quibus nominibus tribuendis eius loci, qui repræsentatur, obseruare consuetudinem decet. Quamobrem illos valde non probare non possumus, qui quamuis nominum nouitas delectare soleat: tamen verisimilitudinis caussa in Comœdiarum conuersionibus nomina immutant, & illa adhibent, quæ in ea lingua sunt vsitata, in quam fit conuersio, & locum simul mutant. Nã parum fortasse verisimile est personas Græcas inter se in vrbibus Græcis, quæ repræsentantur, latine agere, vt apud Plautum, & Terentium. Nisi forte dicamus poni populum ita rudem, vt omnes gentes, & nationes vno vti sermone existimet. Quod magis probari posset, si Comœdia illis in urbibus sæpe non ageretur, in quibus diuersæ quotidie linguæ audiuntur.

Non debet esse episodica, id est, superuacaneis contaminata episodijs. Hic autem episodia esse intelliguntur omnes res inuentæ ad ostendendam facti naturam, quod summatim tantum cognoscitur; quę nisi verisimiliter, aut necessario connectantur, fabulam episodicam reddunt, & reprehendendam: si bene connectantur, non episodicam, & laudandam. Exempli gratia in Menechmis Plauti summatim cognoscebatur, Menechmum Sosiclem Epidamni Menechmum surreptum fratrem suum agnouisse. Quæ vero ad huius facti ostendendam naturam inuenta sunt, episodia dicuntur, ac verisimiliter, aut necessario a Plauto nexa sunt. primum enim Peniculus loquitur: superuenit surreptus Menechmus, uxorem increpans suam: inde exit Erotium meretrix, & Cylindrum ad emendum mittit obsonium: postea Menechmus Sosicles cum seruo aduenit, & falso accipitur à Cylindro, deinde ab Erotio, post à Peniculo, tum ab ancilla, deinceps ab vxore. Sic in ceteris partibus progressio fit, quæ tam uerisimiliter, aut necessario nexę sunt, ut èa fabula episodica appellanda non sit.

Debet esse admirabilis, vt per ridiculam deceptionem talis inducat deceptionis purgationem: admiratio enim rerum malarum, & turpium, quæ in Comœdijs irridentur, ac uituperantur, spectatores docet, ne in illas incurrant. Nam, quemadmodum Tragœdia in rebus miserabilibus, & metuendis admirationem mouet: Sic Comœdia in turpibus, & irridendis. Vt, cum in Adelphis Terentij Demea pater decipitur, & Ctesiphonem filium esse probum, Aeschinum uero improbum credit; ex huiusmodi deceptione oritur admiratio, quæ spectatores commonefacit, ne simili modo

do decipiantur. Quæ purgatio est Comœdiæ propria.

Debet esse implexa, ut pulcherrima sit, quæ aduersa in prosperam fortunam mutationem habeat. Nam simplex est, quæ vno fortunæ tenore progreditur, ita ut actio sit semper felix, perinde ac semper infelix fingitur Aeschyli Prometheus. Implexa vero est, cum fit fortunæ mutatio per peripetiam, & agnitionem, quæ fieri sex modis potest, quemadmodum etiam in Tragœdia, tum per signa, tum per poetæ fictionẽ, tum per memoriam, tum per syllogismum, tum per paralogismum, tum per rerum successionem, vt supra est explicatum.

Non debet eam perpeßionem habere, quam habet Tragœdia, id est, ut ab Aristotele definitur, actionem cum vi interitus, uel magnæ molestiæ afferendæ; etiamsi aliquo malo non careat, & aliquibus turbis sine cędibus, & uulneribus, quæ tandem in nuptias, lętitiam, & tranquillitatem conuertuntur, & aliqua pericula exprimat, sine quibus exitus essent frigidißimi. Loco autem Tragicorum malorum debet ridiculum continere.

VII.

DE MORIBVS.

SEcunda pars qualitatis posita est in moribus. Nam primum debent exprimi, non boni, ut in Tragœdia, sed mali in eo uitij genere, quod risum mouet. ut in Demea duritia: in Mitione facilitas erga filium: in Dauo astutia: in Thrasone iactatio: in Gnathone obsequium: in alijs personis alij huiusmodi mores.

Præterea conuenientes, de quibus ita ait Terentius in Prologo Eunuchi;

> *Quòd si personis ijsdem vti alijs non licet,*
> *Qui magis licet currentes seruos scribere,*

Bonas matronas facere, meretrices malas,
Parasitum edacem, gloriosum militem,
Puerum supponi, falli per seruum senem,
Amare, odisse, suspicari?

Ac morum quidem conuenientia in Adelphis spectatur, vbi Aeschinus cum Sannione Lenone sic loquitur;

SAN. Quam rem? quò redeam? AES. Iamne me vis dicere, quod ad te attinet?
SAN. Cupio, modo æqui aliquid. AES. Vah, leno iniqua me non vult loqui.
SAN. Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium,
Periurus, pestis: tamen tibi à me nulla est orta iniuria.

Conuenientes vero mores considerantur partim secundum genus, vt nationem, sexum, ætatem, partim secundum habitum, & professionem hominum. Qua de re ita scripsit Arist. lib. 3. Rhetoricæ; Et morata ipsa est signis demonstratio. quia consequitur cuique generi, & habitui cõueniẽs. Dico autem genus secundum ætatem, vt puer, aut vir, aut senex. Et mulier, aut vir. Et Laco, aut Thessales. Habitus vero, secundum quos cuiusdã modi aliquis est in vita. non enim secundum omnem habitum vitæ sunt cuiusdam modi. Si igitur & nomina accommodata dicat habitui, exprimet mores. Non enim eadem, neque eodem modo agricola, & eruditus locutus fuerit. In eandem sententiam sic Horatius;

Inter erit multum, Dauusne loquatur, an heros.
Maturusne senex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus; an matrona potens, an sedula nutrix;
Mercatorne uagus, cultorne virentis agelli,
Colchus, an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis.

Tertio loco, cum de moribus agitur Tragicæ personæ, commemorantur mores similes; qui, si intelligantur mediocres, & communibus hominum moribus respondentes, ad Comœdiam quidem pertinere non videntur, quæ est imitatio peiorum: sed dicendum est, debere esse similes, & mediocres in alijs habituum generibus, quàm in eo, quod est ridiculum, in quo dicuntur peiores: quia, vt scriptum quoque reliquit Vincentius Madius, scelesti non contemptum, sed odium merentur: eos vero, qui probi sunt, & habentur, deridere, à bonis moribus alienum esse videtur. Quare tantum medij, & inter illos interiecti, digni sunt, qui derideantur. Si vero morum similitudo ad eas personas referatur, de quibus alij con-

scripserunt, cum in Comœdia nomina confingantur, nec antiqua sint, vt plerunque esse in Tragœdijs videntur; valebit morum similium præceptũ ad quasdam personas tales imitandas, quales iam communiter receptæ sunt, vt Pantaleonem Venetum, Ioannem Bergomatem, Gratianum Frãcolinensem, & alias huiusmodi personas, quæ quibusdam moribus præditæ ab omnibus similiter introductæ sunt, ita ut à tali consuetudine recedendum minime esse videatur.

Postremo sunt mores æquales exprimendi, de quibus tradit Horatius illud;

Seruetur ad imum
Qualis ab incepto processerit, & sibi constet.

Quod tamen nonnullam habet dubitationem, quia quandoque morum fieri mutatio in Comœdijs videtur, vt apud Terentium in Demea, & Mitione. Demea enim in principio durus, in fine lenis, primum auarus, postea prodigus apparet. Mitio vero ad extremum de sua multum remittit natura. Ego dicerem, morum mutationem non esse admittendam, nisi aliqua magna caussa exprimatur, quæ ad eam valeat efficiendam; quemadmodum Demea suæ caussam mutationis multis exprimit verbis, illamque præclaram profert sententiam;

Re ipsa repperi;
Facilitate nihil homini esse melius, neque clementia.

Mitio quoque propter nimiam Demeæ profusionem aliquantisper mutatur: sed mitis apparet.

VIII.

DE SENTENTIA.

Tertia pars qualitatis est sententia ad quam omnis inuentio demonstrationis, concitationis, & amplificationis dicitur pertinere; vt in Adelphis;

Venit ad me sæpe clamitans, quid agis Mitio?
Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus sumptus suggeris?
Vestitu nimium indulges, nimium ineptus es.

Nimirum

Nimirum ipse durus est præter æquumque & bonum:
Et errat longe mea quidem sententia,
Qui imperium credat grauius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quàm illud, quod amicitia adiungitur.

Hic est sententia demonstrationis, seu argumentationis, dum Mitionem perdere adolescentem, & nimis ineptum esse, eo confirmatur, quòd adolescentis amoribus, & compotationibus sumptus suggerat, ac vestitu nimium indulgeat: & Demeam nimis durum probatur errare, propterea quòd qui credit imperiũ esse grauius, & stabilius per vim, quàm per amicitiam, longe errat. præterea est sententia concitationis, dum Demeam mouere pudorem Mitioni ex eius imprudentia, & Mitionem resistere tali pudori ex sua prudentia ostenditur. Postremo est sententia amplificationis, dum malum, & incommodum amplificatur ex Mitionis facilitate.

IX.

DE DICTIONE.

Q*Vincta pars qualitatis est dictio. Ex Aristotele autem colligitur Comœdiæ congruere idiotecismum. Qua in re ualde laudatur Plautus: non valde Terentius, qui vulgarem vitauit elocutionem. Huius vero rei culpa reiecta est in Scipionem, & Lelium, homines nobiles eleganti sermone vtentes, qui in Comœdijs componendis ei auxiliati sunt. Qua de re ita legitur in prologo Adelphorum;*

Nam quod isti dicunt maleuoli, homines nobiles
Eum adiutare, assiduique una scribere;
Quod illi maledictum vehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximam, cum illis placet,
Qui uobis vniuersis, & populo placent;

Quorum opera in bello, in ocio, in negocio,
Suo quisque tempore vsus est sine superbia.

Elegantior igitur visus est Terentius, quàm ferrè natura Comœdiæ videatur; quem Cicero ad Atticum citat, tamquàm bonum latinitatis auctorem, Cecilium appellans malum latinitatis auctorem. Probantur vero eidem Aristoteli in Iambicis, & hoc modo etiam in Comicis, qui Iambis vtuntur, formæ omnes elocutionis quæ ad communem sunt sermonem accommodatæ, vt propria, translata, epitheta.

X.

DE MELOPOEIA.

Quincta pars qualitatis est Melopœia, quæ adhibebatur in Choris, & appellatur ab Aristotele maximum condimentorum; ac intelligitur per id, quod sub aurium sensum cadit, consequens Poeticæ, non proprium, nec necessarium, quia sine ea esse Poesis potest.

XI.

DE APPARATV.

Sexta pars qualitatis est apparatus, qui sub visum cadit. Ac primus quidem Sophocles, scenam depingi, & prospectum fieri ad agendas Tragœdias instituit; quod postea ad Comœdias translatum est. Donatus vero scribit in Comœdia omnes seruos fuisse eodem modo indutos, sic puellas eodem modo, & alias personas similiter. De vestibus autem Comicarum

earum personarum legendus est. Iullius Pollux lib. 4. cap. 18. Nam senum vestis erat purpurea, vel nigra: iuniorum purpurea: seruorum vestis erat exomis, id est, tunica alba ignobilis, in sinistro latere sutelam non habens: parasiti uestis nigra pullaue, aut alba, cum esset nuptias celebraturus; parasitus autem ferebat pectinem, & Lecythum: coqui duplex, & rudis vestis: lenones tincta tunica, & amiculo splendido induebantur; virgamque rectam gerebant, quæ ἀστεχοι nominatur: pera, id est, sacculus ad lumbos pendens, & diphthera, id est, indumentum ex pellibus confectum, ad rusticos pertinent, qui ferebant pedum: anuum vestis erat melina, vel coerulea; si erant sacerdotes, alba: iuuenum alba, vel byssina: non nullæ mulieres habebant armillam, & symmetriam, quæ erat tunica talaris purpuream fimbriam habens: lenæ, vel meretricum matres vittam quandam purpuream in capite gestabant. De personis Comicis, omnique apparatu, liber primus Poeticæ Iulij Cæsaris Scaligeri legendus est.

XII.

PARTES QVANTITATIS.

PArtes quantitatis, ex quibus Comœdia componitur, duorum generum sunt; partim extra actionem, vt prologus separatus, cuius exemplum ex ueteri Comœdia non habetur, sed tantum ex noua; & chorus in veteri, non in noua vsurpatus: partim in actione, vt, si loqui velimus ex Aristotelis præscripto, prologus scilicet coniunctus, episodium, exodus; si recentiorum terminos spectemus, protasis, epitasis, catastrophe.

XIII.

DE PROLOGO separato.

PRologi separati persona extra fabulam tota est. Nã sine exemplo Plautus Mercurium in Amphitrione facit agere prologum; qui tamen magnam deinde fabulæ partem expedit. Quod Iulius Cæsar Scaliger notauit. Inducitur autem apud Plautum efficere prologum fere deus aliquis: apud Terentium defensor aliquis poetæ. Et nonnullis uidetur melius esse, vt inducatur deus, quàm homo, qui res futuras prædicat, & aperiat; quod magis ad deum, quàm ad hominem pertinet. Quæ ratio valet, ubi argumentum narratur, vt apud Plautum; non, ubi illud prætermittitur, ut apud Terentium. Præterea putant quidam prologum separatum Comœdiæ conuenire, propter eius obscuram materiam ex personarum conditione: Tragœdiæ vero non congruere, propter eius notam materiam ex conditione personarum, quæ propter suam altissimo loco sitam dignitatem ab omnibus obseruantur. Quæ ratio valet de prologis illis, qui argumentum narrant, non de illis, qui auditorum animos parant; cuiusmodi prologos posse etiam Tragœdiæ concedi, alibi scripsimus. Duplex enim est prologi munus; unum, vt fabulæ exponat argumentum; alterum, ut spectatorum animos paret, fabulam commendando, uel poetam, & aduersariorum maledictis, si opus est, respondendo. primum munus, vt modo dicebamus, præstatur à Plauto, non à Terentio: illud tamen habet rationis, quòd si factum summatim non cognoscatur, obscurior videri potest Comœdiæ actio, & hoc modo minus iucunda. Quamobrem Plautus non est reprehendendus, apud quem uniuersè narratur actio, non modi actionis. Quamquam ne factum quidem Terentij est improbandum, ea fortasse ratione, quia magis afficit improuisa delectatio, quàm prouisa; cum præsertim in singulis Comœdiæ partibus ita obscuritas vitetur, vt singulatim ipsas cognoscere

re

re facillimum fit, etiam si factum ipsum in prologo non narretur, & de exitu suspensus auscultatoris animus detineatur.

XIIII.

DE CHORO.

Chorus dupliciter accipitur, vt supra obseruauimus; primum pro vniuersa interloquutorum multitudine, non solum in Tragœdia, sed etiam in Comœdia, vt apud Platonem de Repu. & apud Aristotelem quoque, cum dicitur magistratum sero concessisse chorum Comœdorum, quem Terentius gregem nuncupat; qui an sit in Comœdia, dubitare absurdum esset. Deinde pro multitudine personarum, quæ aliquam præ se fert uniuersitatem, uel populum. Atque hoc dupliciter consideratur; aut quatenus per aliquam loquentem personam fabulam ad finem perducit, & est pars actionis: aut quatenus cum concentu introducebatur, & non erat pars actionis. De hoc ita Aristoteles scribit; Chorici parodus prima dictio integri chori: stasimum uero cantus chori sine anapesto, & trochęo. Iulius Cæsar Scaliger testatur, munus chori varijs modis in Comœdia veteri exerceri solitum fuisse; aliquando cum cantu, & motu, & gestu, & saltationibus ad tibias: aliquando cum versuum, & aliarum rerum uarietate: aliquando cum singularibus personis; cumque grassari solita esset Comicorum poetarum licentia in omnes ordines, ætates, sexus, conditiones impune; idque non in transcursu tantum, sed integro fabularum tractu, ac primario studio, quod in Ranis, & in Nubib. constat Aristophanis; vexationem illam, quæ sparsim, atque ut sese res daret, exercebatur, ipsi choro fuisse potissimum attributam; eamq. licentiam potuisse tum exerceri, cum summum imperium penes populum fuit; attritis uero populi opibus, reductaq; illius insania, & licentia, & inconstantia ad Tyrannicam paucorũ libidinem, metum potentiorũ poetas in officio benedi-

cendi

cendi continuisse, idcircoque sublatum chorum fuisse; chori autem loco παραβάσεις quasdam receptas esse, in quibus aliorum poetarum dicta, scriptaque sine maleficij crimine, aut pœnæ suspicione irridebantur; successisse Comœdiam nouam sub Alexandro, in qua sublato choro explenit officium Tibicen, & aliquando etiam actores extra argumentum introducti sunt, quorum urbanitate adhuc magis animi laxarentur, Mimi nominati, quòd omnia gesticulatione imitarentur. Plura de choris, de saltatione, de tibicinibus, de mimis, ex eodem Scaligero peti possunt.

XV.

DE PROLOGO coniuncto.

PRologus in actione Tragœdiæ, & Comœdiæ tum veteris, tum nouæ est primus fabulæ actus, id est, vt definit Aristoteles, pars integra ante chorum, uel ante eam partem, quæ chori loco recepta est. A recentioribus dicitur protasis, id est, propositio, & initium dramatis, atque actionis; etiamsi protasis non semper in primo, sed quandoque etiam in secundo est actu, vt apud Plautum in Milite glorioso. Quod idem notauit Scaliger.

DE

XVI.

DE EPISODIO

Efinit episodium Aristoteles partem integram interiectam inter integros choricos cantus, & hoc modo secundum, tertium, & quartum actum. Nam, cum episodium varijs accipiatur modis, hoc in loco intelligitur secundus, tertius, & quartus actus. Atque hoc triplex episodium à Donato, & alijs recentioribus vocatur epitasis, idest, incrementum, processusque turbarum, ac totius, vt ita dixerim, nodus erroris: ab alijs vero in duas partes distribuitur, epitasim, in qua turbæ, aut excitantur, aut intenduntur, & catastasim, id est, vigorem, ac statum fabulæ, in qua res miscetur in ea fortunæ tempestate, in quam subducta est.

XII.

DE EXODO.

Xodus, ut ait Aristoteles, est pars integra, post quam non erat chori cantus. Hæc continet catastrophen, & ad iucundos exitus conuersionem.

X DE

XVIII.

DE NVMERO quinque actuum.

IN Tragædia, & in Comœdia sunt quinque actus: prologus coniunctus, episodium primum, episodium secundum, episodium tertium, exodus. De his ita scriptum reliquit Scaliger; Denominati sunt ab ordine, qui numero quinario complectitur. Neque enim plures, paucioresue quinis esse conuenit. Distinguebantur autem internentu cuiuspiam personæ nouæ olim. postea uero sæpe aliter factum inuenias. personam eandem negat Donatus plus quinquies exire in proscenium, falso. Vel statim ipsa in Andria Dauus ostendit haud ita esse. tum alibi sæpe. Hæc ille. Quidam scribunt quinque actus esse propter memoriæ auxilium, quia naturaliter diuisio quinarium præterire numerum non debet, cum quinque natura in manu digitos fecerit, in quibus partes collocare diuisas soliti sumus; ut faciebat Hortensius. qui caussę partes in digitos deducebat; unde Gręci dicunt πεμπάζειν perfecte narrare. Nos addimus, esse quinque hac ratione, ut arbitramur, satis probabili, quod actionis partes aut ad summam facti pertinent, aut continent incrementa. Si ad facti pertinent summā, aut ad ingressum ualent actionis, aut ad exitum, ut prologus coniunctus, & exodus. Quare duæ sunt partes necessarię, una propter principium, alter propter finem. Si incrementa continent, ut maiorem afferant delectationem, nec paucæ esse debent, (absurdum enim esset populum propter breuissimi temporis delectationem congregari) nec multæ, quia actionis longitudine populus læderetur. paucæ essent, si duæ: multæ, si plures, quàm tres. Itaque seruata mediocritate tria existunt episodia, quæ cum duabus partibus necessarijs numerum conficiunt quinarium.

XIX.

DE CONSTITVTIONE pulcherrimæ Comœdiæ.

Constitutionem pulcherrimæ Comœdiæ oportet esse nō simplicem, sed nexam; eamque ridiculorum imitationem: hoc enim proprium est huiusmodi imitationis. In Comœdia autem nec valde probi decipi debent; id enim non est ridiculum, sed odiosum, & à bonis moribus alienum. Nec ualde improbi; id enim licet gratum sit hominibus, & admirabile, quando sapiens quidem, sed cum improbitate deceptus fuerit, quod Aristoteles dixit esse uerisimile Agathonis: tamen uidetur naturam ridiculi superare, quòd illi maiori malo digni sint, quàm vt irrideantur, & non cōtemptum, sed odium mereantur. Reliquus est inter hos interiectus. Est autem talis, qui cum in ceteris rebus mediocris sit conditionis, & communi hominum conditioni persimilis, in eo tamen vitij genere, quod est ridiculum, alijs peior est. Neque est ex ijs, qui sunt in magna existimatione, & fortunę prosperitate, quales personæ Tragœdijs conueniunt, non Comœdijs. Præterea necesse est egregie se habentem fabulam esse magis duplicem, habentem duo genera personarum, quæ ita mutentur, vt tandem bona bonis, mala malis eueniant, qui finis est etiam Odyssææ, quam simplicem habentem unum genus personarum, & personas eiusdem qualitatis, & bonitatis. Ac mutari ex aduersa in prosperam fortunam. Atque hæc ea non est, inquit Arist. quæ à Tragœdia proficiscitur, voluptas, sed magis Comœdię propria: in ea enim fabula si inimicissimi sint, ut Orestes, & Aegisthus, amici tandem facti exeunt; & nullus per alterum moritur. Ac licet quidem ridiculum ex rebus extra actionem positis fieri, vt plerunque nostris temporibus fit: licet uero etiam ex ipsa constitutione. id quod prius est, & poetæ melioris. oportet enim etiam sine huiusmodi rebus fabulam sic constitutam esse, vt audiens rideat ex ijs, quæ contingunt. in quam uoluptatem incurret ille, qui Plauti fabu-

las audiat, magis quàm Terentij. Efficere autem hoc per illa, quæ recentiores appellant intermedia, est magis artificij expers, & nihil commune habet cum Comœdia. Non enim omnem à Comœdia oportet voluptatem quærere, sed propriam; quam in ipsa actione Comica efficiendam esse, manifestum est. Iamuero, quales sint actiones ridiculæ, & ad Comœdiam accommodatæ videndum est.

XX.

DE RIDICVLO.

Efinitur ridiculum apud Aristotelem, vt sit peccatum quoddam, & turpitudo sine dolore, & non habens vim interimendi, vt statim ridicula facies, turpisque, ac distorta sine dolore. In qua definitione primum cognoscendum est, quid sit risus, qui mouetur ridiculo. Hunc igitur doctissimi homines dixerunt esse signum lætitiæ, quod facit animus per dilatationem cordis ex spirituum resolutione, qui vincente imagine rei lętæ nequeunt contineri. Itaque apparet natura risus. Apparet, quo pacto concitetur, id est, quæ sit caussa risus effectrix: nam est lętitia, ac voluptas. Apparet, vbi sit: est enim in animo, tamquàm in re præcipua, quæ risum recipit, & in corde, tamquàm in animi instrumento. Apparet, quomodo fiat, nempe ex spirituum resolutione. Apparet, quomodo latera, os venæ, vultus, oculi occupentur, vincente imagine rei lętę vim illam, quæ spiritus continet, tum in thorace, tum in facie, tum etiam quãdoque in cerebro, ita vt eius humiditas ex oculis erumpat, quæ lachryma nuncupatur. Vnde Syrus de Demea, Homini, inquit, illico lachrymæ cadunt, quasi puero, gaudio. Quoniam vero non omnis res, quæ mouet risum, appellatur ridicula, vt personæ, & res charæ, quibus occurrimus, aut primum, aut post aliquod temporis spatium, quales sunt, mater, pater, filij, amatores, amici, & einsmodi; qualesque honores, magistratus, lapilli preciosi, possessiones, læti nuntij, denique res omnes,

nes, quæ post diuturnum, & vehemens obtinentur desiderium: idcirco definitur ridiculū, ut sit peccatū quoddā, & turpitudo; quæ apud Platonē in Sophistа dicitur esse recessus quidam ab eo, quod naturæ congruit. Turpitudo autem vel est cum dolore, & mouet misericordiam: vel sine dolore. Rursus si sine dolore, aut est corporis, aut animi, aut rerum extrinsecus positarum. Si corporis, aut est cum sordibus, & mouet odium, ut Patroclis apud Aristophanem: aut sine sordibus, & mouet risum, vt statim ridicula facies, turpisque ac distorta; estque triplex; vna vera, vt facies Thersitis apud Homerum: altera ficta, vt cum quis claudicat, vt claudicantem irrideat: tertia fortuita, vt cum quis ita cecidit, vt nihil ei mali contigisse videatur. Præterea, si animi, aut est cum improbitate, & mouet odium, vt sceleratus animus Pisistrati: aut sine improbitate, & mouet risum, vt Margitis, estq; similiter triplex; vna uera, vt cum quidam, qui ferebat arcam, posteaquàm Catonem percusserat, dixit, Caue: altera ficta, vt cum Cato simulauit se nescire, an ille aliud ferret præter arcam: tertia fortuita, vt cum accidit aliquem dicto, aut facto animi sui errorem patefacere. Postremo, si rerum extrinsecus positarum, aut est cum insolentia, & arrogantia, & mouet odium, vt cum quis ignobilis, & plebeius ea sibi arrogat, quæ nobilium sunt, & patriciorum: aut sine insolentia, & arrogantia, & mouet risum; estque itidem triplex; vna vera, vt cum Cicero interrogauit, quisnam Lentulum gladio alligasset; quod legitur apud Macrobium: altera ficta, vt cum quis se induit uestimentis inusitatis ridiculi caussa: tertia fortuita, vt cum quis casu solutis bracharum vinculis, et caligarum partes turpes ostendit. Qui plura cupit, legat Vincentium Madium de ridiculis. Addunt quidam, turpitudinem, Comœdiæ propriam, esse deceptionem, propter quam aliquis dicit, aut facit, aut patitur ea, quę nec diceret, nec faceret, nec pateretur, si non deciperetur; & quadruplicem commemorant; Vnam, quæ ex earum rerum euenit ignorantia, quę ad communem hominum pertinent intelligentiam; qualis fuit ignoratio Margitis, aut quæ existit ex ebrietate, somnio, phrenesi. Alteram, quæ ex falsa opinione, vt cum quis falso putat se in artibus quibusdam, & in uiribus corporis, aut animi excellere, atque in his inaniter se iactat; qualis est Thrasonis apud Terentium ostentatio. Tertiam, quæ ex eo, quòd in aliam partem res accipiantur, aut in auctorem ipsarum retorqueantur, vt cum Cato Nobiliorem Mobiliorem appellauit; & cum Tiberius Nero dictus est Biberius Mero; & cum ei, qui dixerat, Laua os, & non manus, responsum est, De te non sum locutus; & cum Q. Opimio consulari, qui adole-

adolescentulus male audiuerat, & festiuo homini Egilio, qui uidebatur mollior, nec erat, dixerat, Quid tu Egilia mea,

Quando ad me uenis cum tua colu, & lana?

ab ipso Egilio responsum est; Non pol audeo,

Nam me ad famosas uetuit mater accedere.

Quartam, quæ ex alterius insidijs, aut casu, dummodo eum, qui decipitur, magnum damnum non consequatur, vt cum maritus ille ab uxore insidijs sociorum cum meretrice deprehensus est; & cum casu à patre deprehensa est filia cum amante dormire, quæ cantu luscinia oblectabatur. Huius autem turpitudinis, quod ridiculum nominatur, explicatio, aut est iocus, aut scurrilitas. Vnum genus (inquit Aristoteles libro tertio Rhetoricæ) libero homini conuenit: alterum vero secus. Est autem iocus scurrilitate liberalior. Nam, qui iocatur, sui caussa ridiculum fingit: scurra uero alterius. Libro secundo Ethicorum legitur, festiuitatis duo esse extrema, quorum alterum scurrilitas: alterum rusticitas nuncupatur. Et libro secundo Rhetoricæ definitur festiuitas, uel facetiarum uirtus, ut sit erudita contumelia. Iam cogitandum est, hæc omnia qualia sint ad illa, quæ ἀστεῖα id est, urbana, & εὐδοκιμοῦντα, id est, quæ probantur, libro tertio Rhetoricæ appellantur. Nam Vincentius Madius in suo de ridiculis commentario, quam Aristoteles quæstionem de urbanis declarauit, ad ridicula traxit, cum in hunc modum scripsit; Ridicula partim ab arte, hoc est in vniuersum: partim à natura, hoc est priuatim semper dependent: quoniam de eis ars nulla tradi potest, & hoc est, quod Aristoteles tertio de Rhetorica libro de vrbanis loquens dixit; Ac fingere quidem est ingeniosi, vel exercitati: demonstrare vero methodi huius. M. vero Antonius Maioragius ita agit de vrbanitate, vt eam à facetijs distinguere non videatur, scribens sic; Apud Ciceronem Cæsar existimat à natura potissimum, & ingenio vrbanitatem proficisci, nullo autem modo doctrina posse tradi. postea tamen quædam præcepta iocandi tradit vtilissima, quibus natura, & exercitatio possit adiuuari. Quocirca sentit idem omnino Cicero cum Aristotele, naturam primum ad facetias, & vrbanitatem valere plurimum, deinde artem, & exercitationem. Hæc ille. Petrus autem Victorius omnes reprehendit, quicunque vrbana, & quæ probantur, à ridiculis, iocis, & facetijs non distinxerunt; putatque vrbana esse omnino diuersa à iocis, id est, sententias graues, acutas, & plenas venustatis. Sic enim scriptum reliquit; Vt Græci ἀστεῖα ab oppido, quod ἄστυ vocant, ita Latini lepidos hos, suauesque sermones ab vrbibus

bibus vrbanitates appellarunt: quia qui vrbes incolunt, cœtusque politorum hominum frequentant, in sermone venustiores fiunt: rustici autem homines, & indocti ab omni elegantia, concinnitateq; orationis abhorrent. Neque tamen credendum est eadem esse ἀστεῖα hæc, quæ uocat, atque εὐδοκιμοῦντα: & illa, quæ ab eodem, & hoc ipso in libro, & alijs etiam in locis appellata sunt γελοῖα: à Latinis vero ridicula, ioci, & facetiæ, vt non nulli falso putarunt: & ij maxime, qui in alios dicere parati sunt; scrutanturque adhibita in hoc summa cura, si qua in re valeant existimationem aliorum lædere: longe enim alij sunt ioci, & sententiæ graues, acutæ tamen & ipsæ, plenæque venustatis. Addit plura, quibus probet vrbana esse graues sententias, distinctas à dictis iocosis, facetis, & ridiculis. Cui cum prorsus assentiamur, vrbana, & quæ probantur, & iocos, & facetias synonima non esse, (quod fortasse ne illi quidem censuerunt, etiamsi quod ab Aristotele scriptum est de vrbanis, dum quęreretur, vtrum à natura, an ab arte proficiscerentur, trahi posse ad ridicula iocos, & facetias existimauerint) tamen putamus, vrbana esse non solum sententias graues, sed etiam festiuas, iocosas, & facetas. Nam videmus ex ijsdem fere locis, ex quibus urbana ducuntur, facetias quoque duci posse; cumque graues sententias inter vrbana recte commemorari confiteamur, nondum tamen nobis persuademus, facetias ab urbanorum genere esse prorsus segregandas. Negari enim non potest, virtutem facetiarum ad eos, qui vrbes incolunt, cœtusque politorum hominum frequentant, pertinere, vt rusticos, & agrestes homines ab omni elegantia, concinnitateque orationis abhorrere. Quamobrem vrbanitatis munus est, non solum sententijs grauibus, sed etiam quandoque iocosis, facetis, ridiculis vti. Et quædam vrbana non sunt ridicula, ac iocosa, sed grauia, & seria, quædam vero ridicula. Cum autem in urbibus duplex ridiculorum genus adhibeatur, alterum, quod in persona liberi hominis, alterum, quod in persona scurræ probatur; considerandum est, an ita eximi hæc difficultas queat, nondum, vt ait Victorius, ab ijs, qui de iocis, ridiculisque nostra ætate, siue Latino, siue Etrusco sermone scripserunt, explanata, vt dicatur, huiusmodi quidem uocabula synonima non esse (quod si putassent Madius, & Maioragius, sine dubio errassent) sed dicta urbana strictim significare graues sententias, quod notauit Victorius: latius uero non solum graues sententias, sed etiam facetias: at latißime esse genus; & huic generi duas species subijci, vrbana non ridicula, quales sunt graues sententiæ, & urbana ridicula, ac rursus urbanis ridiculis duas

alias

aliis species subiacere, facetias & scurrilitates; ita vt omnia hæc ad urbana, tamquàm variæ species ad suum genus reuocentur. Nam, tametsi mirum uideri potest, vt scurrilitates inter urbana recenseantur, cum urbana in præcipua, & præstanti significatione libero homini conueniant; quo sensu ab Aristotele oratori tributa sunt: tamen, cum rusticitates non sint, & in urbibus vsurpentur, vnde vrbanorum nomen deductum est, atque in personis scurrarum urbanorum maxime probentur; non videmus, cur, si non illa subtili, & excellenti significatione, at saltem hac vulgari, & communi ad urbana referri non queant; siquidem etiam Cicero, uel ipso teste Victorio variarum lectionum libri decimi quarti capite duodecimo, in prima epistola ad Atticum urbanos appellauit competitores, quasi leues, & nugatorios: ac in primo libro de diuinatione dixit, Romuli augu ratum pastoralem, non urbanum fuisse, nec fictum ad opiniones imperitorum, sed à certis acceptum, & posteris traditum; ubi urbanum idem Victorius interpretatur iocularem, & fabulosum, quique tamquàm ioco haberi, risuue explodi possit; atque inde opinatur competitores & ipsos urbanos, quasi ioculares, & lepidos homines appellatos esse. Ac de urbanis quidem plura scripsit Aristoteles in eo, qui modo citatus est libro. Scripserat quoque de ridiculis in Poetica: sed hæc tota pars desideratur, cui Vincentius Madius in suo de ridiculis commentario supplere conatus est. De facetijs uero pertractauit Cicero sub persona Cæsaris libro secundo de oratore: & Balthesar Castilioneus in eo opere, quo uirum Aulicum conformauit. Sequuntur præterea quædam, quæ simul pertinent ad pulcherrimæ Comœdiæ constitutionem.

XXI.

DE SPECTANDA morum deformitate.

QVemadmodum enim in Tragœdia, quæ est meliorum imitatio, oportet poetas imitari bonos formarum fictores, qui, cum tribuant propriam formam, pulchriores fingunt, ut Polignotus faciebat: sic in Comœdia, quæ est peiorum imitatio, oportet quoque poetas imitari illos pictores, qui deformiores pingebant, ut fecisse Pauson dicitur, ita ut faciant exēplum deformitatis in eo uitij genere, quod mouet risum.

XXII.

DE SVBCONTRARIIS fugiendis.

FVgienda quoque sunt subcontraria, vt poeta fabulam constituat, & actionem secum excogitet, ac summatim consideret, sibique ante oculos ponat, atque inueniat, quod decet, caueatque ne ipsum fallant subcontraria, id est, aliquo modo contraria, & repugnantia, ac quæ esse prẽter rationem uidentur. Sic enim minime errabit, ac pulcherrimam Comœdiam conficiet.

XXIII.

DE COMOEDIAE nexu,& solutione.

CVm autem multi, qui bene plicarunt, soluant male, curandum est, vt simul plicatio, & solutio laudetur. Ac quemadmodum omnis Tragœdiæ una quidem pars est nexus; altera uero solutio: sic etiam Comœdiæ. Ea quidem, quæ euenerunt extra illum diem, quo agitur Comœdia, & aliqua eorum, quæ intra eundem diem, sępenumero sunt nexus. Reliqua pars est solutio. Ac dicitur nexus is, qui à principio est vsque ad eam partem, quæ postrema est, in qua fit transitus ex aduersa in prosperam fortunam. Solutio uero, quæ est à principio transitus usque ad finem.

XXIIII.

DE COMOEDIAE speciebus,& gradibus.

ET, quemadmodum Tragœdiæ species sunt quattuor, una implexa, altera affecta, tertia morata, quarta simplex: sic etiam Comœdiæ species sunt quattuor, una simplex, quæ fit sine peripetia, & agnitione; altera implexa, cuius totum est peripetia, & agnitio; tertia morata, in qua prævalent mores, cuiusmodi est Hecyra Terentij; quarta ridicula, in qua prævalent ridicula, ioci, & facetiæ, vt Menechmi Plauti. Nihilque probibet, quominus una, & eadem Comœdia sit simplex, & morata, ut sunt Adelphi: & implexa, ac morata, ut Hecyra: & simplex, ac ridicula, ut Aulularia: & implexa, ac ridicula, ut Menechmi. Sed fieri non potest, ut eadem

sit